STOICORVM ETHICA AD ORIGINES SVAS RELATA.

MAXIMILIANI HEINZE
ADIVNCTI PORTENSIS

COMMENTATIO

QUA

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

INAVGVRATAE ANTE HOS CCCXIX ANNOS

SCHOLAE PROVINCIALIS PORTENSIS

A. D. XII KAL. IVNIAS A. MDCCCLXII

RITE CELEBRANDAM

INDICVNT

ET

AD RECITATIONES ET ORATIONES DISCIPVLORVM

EX OMNIBVS CLASSIBVS ELECTORVM


AVDIENDAS

INVITANT

RECTOR ET COLLEGIVM

SCHOLAE REGIAE PORTENSIS.

NVMBVRGI
TYPIS HENRICI SIELING
1862.


ABCDEFG
HIJKLMN
OPQRSTU
VWXYZ
SUBIRACHS

Non solum cum viri docti placita philosophorum enarrare et inter se comparare coeperunt, sed iam Zenone principe Stoicorum etiamtum vivente Stoicis obiectum est, quod in philosophia fere nil novi invenissent, sed quicquid in eorum philosophia novum videretur ab superioribus philosophis acceptum et nomine solo esse mutatum. Iam Polemo Academicus Zenonis praeceptor Zenoni in scholam suam venienti dixisse narratur Diog. VII, 25: *οὐ λανθάνεις ὦ Ζήνων ταῖς κηπαίαις θύραις παρεισρέων καὶ τὰ δόγματα κλέπτων Φοινικικῶς μεταμφιεννύς* (*οἱ ἀπὸ κήπου* nominantur Megarici cf. Menag. ad hunc Diogenis locum). Atque hoc usque ad hanc aetatem Stoicis crimini datur, cum fere omnibus temporibus exstiterint, qui Stoicos inprimis Zenonem dicerent non tam rerum quam verborum fuisse inventores. Post Polemonem alii Academici et Peripatetici semper cum Stoicis litigaverunt eosque obiurgaverunt, quod ab aliis disciplinis omnia transtulissent neque quicquam nisi speciem novae disciplinae servarent, et praecipue qui nominantur eclectici demonstrare student doctrinam Stoicorum fere non differre ab Academicis et Peripateticis, ut Carneades non destitit pugnare non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controversiam sed nominum Cic. Fin. III, 12, 41. Praeter omnes Antiochus, id quod ex multis Ciceronis locis intellegimus, ut nil esse controversiae inter Stoicos et Peripateticos demonstraret operam dedit, eumque Cicero more suo in hac re temere secutus est qui sexcentis locis Stoicos gravissimis verbis increpat, quod sine ulla causa novam disciplinam introduxerint neque quicquam nisi verba mutaverint. Quin etiam a Cicerone fere eodem modo quo a Polemone Zeno Stoici fures nominantur Fin. V, 25, 74: „Stoici restant. Hi quidem non unam aliquam aut alteram a nobis (Peripateticis) sed totam ad se nostram philosophiam transtulerunt, atque ut reliqui fures earum rerum quas ceperunt signa commutant, sic illi ut sententiis nostris pro suis uterentur nomina tamquam rerum notas mutaverunt." Quae quidem Piso a Cicerone disputare fingitur, attamen ea Ciceroni ipsi placuisse et multis aliis ex locis et ex illo ipso de finibus libro demonstrari facile potest, etsi nonnunquam Stoici inprimis a Catone qui ab illis stat vel defenduntur, ut Fin. III, 12, 41 ubi Cato sibi nil tam perspicuum videri dicit quam sententias Stoicorum et Peripateticorum re inter se magis quam verbis dissidere, maiorem multo inter Stoicos et Peripateticos rerum discrepantiam quam verborum esse. Quae sententia Catonis quantum differat a Cicerone ut intellegatur cf. Cic. Fin.

III, 2, 5; III, 3, 7; IIII, 9, 22; IIII, 22, 60; V, 8, 22; V, 29, 88 ss. Acad. I, 10, 37; Tusc. Disp. V, 11, 34, quibus locis Cicero Stoicos omnino novas res non invenisse disputat sed verba sola mutasse, cum multis aliis quomodo in singulis doctrinis cum prioribus philosophis congruant studeat demonstrare. Ad perspiciendum quidem quanti in philosophiae historia Ciceronis iudicium sit aestimandum hoc unum afferre sufficit, quod Cicero etiam Peripateticos et Academicos nominibus differentes re congruentes esse dicit cf. Acad. I, 17, 43: „Platonis autem auctoritate qui varius et multiplex et copiosus fuit una et consentiens duobus vocabulis philosophiae forma instituta est Academicorum et Peripateticorum qui rebus congruentes nominibus differebant — nil enim inter Peripateticos et illam veterem Academiam differebat — idem fons erat utrisque et eadem rerum expetendarum fugiendarumve partitio.“ Omnino satis nota est illa Ciceronis cupiditas omnia philosophorum priorum placita perturbandi et commiscendi quam quidem a praeceptoribus suis, ab eclecticis iam accepit. Sic Panaetius iam semper in ore habuit Platonem Aristotelem Xenocratem Theophrastum Dicaearchum Cic. Fin. IV, 28, 79, eorum fere nullam esse differentiam demonstrare cupiens, et Posidonius, quamquam in aliis rebus magis quam Panaetius Stoicos priores videtur esse secutus, tamen in aliis prorsus a Platone et Aristotele pependisse constat cf. Bake Posid. Rhod. Rel. p. 238 ss; Gal. de Hipp. et Plat. plac. IIII, p. 421 ed. Kühn. Quid dicam de Antiocho quem fere integrum apud Ciceronem nobis invenire videamur, qui disciplinam Stoicorum in Academicorum transduxisse dicatur? At non solum Ciceronis temporibus ab illis, qui quae ex omnibus disciplinis iis placebant eligebant, Stoici reprehensi sunt, quod omnia ab superioribus philosophis accepissent seque in philosophiam insinuassent, sed etiam Seneca quendam sibi ipsi obicientem facit Stoicos in eadem quae ceteros descendere mutatis rerum nominibus de Const. Sap. 3, 1, et ipsi scriptores nostrae ecclesiae qui in philosophiam veterem incubuerunt, quamvis multi Stoicis faverent, quod similia apud eos fidei Christianae invenirent Hieronym. in Iesai. X, idem Stoicis crimini dant ut Clemens Alexandrinus Strom. VI p. 267, l. 13 ed. Sylburg: *πολλοί τε τῶν ἀπὸ Πλάτωνος συγγραφὰς πεποίηνται καθ' ἃς ἀποδεικνύασι τοὺς Στωϊκοὺς — τὰ πλεῖστα καὶ κυριώτατα τῶν δογμάτων παρὰ Πλάτωνος εἰληφέναι*, quo quidem loco Aristoteles quoque plurima a Platone accepisse narratur, et Augustinus de Civit. Dei VIIII, 4 Ciceronis quendam locum ex finibus laudans Stoicos in multis quaestionibus non delectari nisi novitate verborum affirmat.

Atque fieri posse ut ob hanc rem Stoici vituperarentur ipse Lipsius qui aliis locis semper a Stoicis stat eorumque dogmatis mirabili modo favet iam intellexit, auditorem suum Stoicos obiurgantem faciens Manud. in philos. Stoic. I, diss. 14, quod Zeno novam sectam p o r t i c u m excitasset inauditum antea nomen et res si scrutaremur vix in iis pugnam sed in verbis formulisque fuisse, et abhinc non ita multos annos Schleiermacher non uno solo loco eandem rem Stoicis obicit Grundlinien einer Kritik der Sittenlehre p. 157: Richtig ist demnach in dieser Hinsicht was den Stoikern so oft und schon vor Alters vorgeworfen worden, dass sie nichts Neues erfunden, und den Peripatetikern war es nicht zu verargen, dass sie im Streite der Schulen diese Beschuldigung vorbrachten, cf. p. 156 ubi Schleiermacher Aristotelem esse

fontem ex quo et Stoici et Epicurei hauserint dicit. Novissimis temporibus, si libros spectamus quibus philosophiae historia enarratur, Zeller de hac re uberrime et acutissime tractavit cuius iudicium quod disputationi de hac re subsequitur hoc est Philos. d. Griechen III p. 204: Der Stoicismus erscheint so weder als eine Fortsetzung des Cynismus noch als eine einzeln stehende Neuerung, sondern er hat ebenso wie iede epochemachende Gestalt des Denkens das Frühere in sich verarbeitet, um ein Neues zu begründen, und wie viel Schönes und Inhaltreiches er auch hiebei zur Seite liegen liess, so hat er doch alles das in sich aufgenommen, wovon sich für ihn und die neue Wendung Gebrauch machen liess, die nun eben in der Entwickelung des griechischen Denkens an der Reihe war.

Zeller igitur hoc loco Stoicos multa ab superioribus philosophis accepisse agnoscit et omnes doctrinas quibus uti possent in suum convertisse, sed nequaquam solum temerarios fuisse inventores verborum, immo multa nova cum iis quae ab aliis sibi vindicassent coniunxisse. Atque hoc constat inter omnes fieri non posse ut disciplina unaquaeque philosophiae a primis principiis incipiat, quod si fieret tota historia esset inutilis. Sicut in historia quae vocatur universalis aliud factum ab alio priori pendet, sic etiam in historia cogitationis alterum ab altero pendet cum altero cohaeret, quam legem in omnibus partibus cogitandi valentem etiam in philosophia veterum observatam esse facile possumus perspicere, neque Stoici ab historia omnino avulsi esse et in se solis niti possunt. Plato et Aristoteles non solum a Socrate sed etiam ab Anaxagora Pythagora Eleaticis pendent et eodem modo Stoici in aliis partibus philosophiae cum aliis philosophis cohaerent eorumque placita acceperunt. Satis notum est in quaestionibus physicis et metaphysicis cum Aristotelem tum Heraclitum eos esse secutos. Fere omnia placita Heraclitea sua reddiderunt ita ut Zeller Phil. d. Griech. III, p. 196 dicere possit: „Es giebt daher ausser der Dreizahl der Elemente kaum irgend einen Zug der heraklitischen Physik, welchen sich die Stoiker nicht angeeignet hätten", et Aristotelem sequuntur docentes vim naturae omnia secundum certum finem formare, quae doctrina inprimis in *τοῖς λόγοις σπερματικοῖς* conspicitur, nisi hoc ad Socratem referre malueris. Cf. de hac re Zeller III, p. 199, qui alia quoque physica commemorat ab philosophia Aristotelea in Stoicam translata. —

In logicis Stoici fere nil novi invenire potuerunt, quia Aristoteles hanc philosophiae partem iam ad finem paene perduxerat atque ab eo fere omnia esse sumpta quae logica Stoicorum nominantur doctrina de veri et falsi notis excepta facile apparet, Zeller III, p. 44 ss., certe Chrysippum ea quae ab Aristotele accepisset magis excoluisse quam nova invenisse et Zenonem ipsum minimum operae in logica philosophiae parte collocavisse nemo est qui neget.

Cum Stoici in physicis usque ad antiquissimos [philosophos] recurrere possent neque in plurimis physicis quaestionibus Heraclitum sequi dubitarent, in morali philosophiae parte non ultra potuerunt regredi quam ad Socratem, quod ante Socratem philosophia moralis fere non erat exculta. A philosophis ante Socratem fere nullae erant latae leges morales, quamquam vel ex illo tempore singulae inveniuntur, e. g. Pythagoras discipulis praecepit ut irae moderarentur, ut in labore perseverarent, ut deo obsequerentur qui non tam oculis posset conspici

quam mente cerni et ex mundi harmonia intellegi Stob. Ecl. Eth. III, p. 66 ed. Heeren, similique modo Heraclitus homines iussit legibus universi obsequi eosque inprimis vetuit insolentes esse Diog. VIIII, 2: ὕβριν χρὴ σβεννύναι μᾶλλον ἢ πυρκαϊήν, cf. Feuerlein, die philosophische Sittenlehre I, p. 42 squ. Neque tamen haec praecepta subiciuntur legi universali neque arcte inter se cohaerent neque via ac ratione explicantur. Haud magis antiquiores philosophi in certis ethicae notionibus definiendis occupati erant, nisi exceperis Pythagoram quem refert Aristoteles primum de virtute disputasse iustitiamque definiisse Arist. Mag. Mor. I, 1. 1182, a, 11. Socrates cui summo iure duae res tribuuntur inductio et notiones universales Arist. Metaph. XIII, 4. 1078, b, 27: δύο ἐστὶν ἅ τις ἂν ἀποδοίη Σωκράτει δικαίως τούς τ' ἐπακτικοὺς λόγους καὶ τὸ ὁρίζεσθαι καθόλου, in ethica quoque parte philosophiae multam operam posuit in eam sine dubio notionem introduxit primusque id egit ut praecepta moralia scientia complecteretur. Qui igitur ethica praecipue tractare voluerunt illius inprimis rationem debuerunt habere, et usque ad eum Stoici quoque regrederentur oportuit, atque eos ad Socratem multis in rebus regressos esse mox iam videbimus.

Supra ex multis locis et veterum et recentiorum intellegi posse voluimus Stoicos saepissime esse vituperatos, quod nomina sola mutavissent ipsas res ab prioribus accepissent. Fere omnes illi loci ad ethica Stoicorum pertinent, praecipue Ciceronis qui in moralibus quaestionibus maxime versatus huius quoque partis philosophiae doctrinas Graecorum philosophorum ad Romanos cupivit transferre, quamquam Cicero Zenonem in aliis quoque rebus veteres e. g. Aristotelem imitatum esse dicit cf. Fin. II, 6, 17. Atqui cum Stoici in moralem partem philosophiae praeter omnes incubuerint, in hac eadem parte inprimis intellegi poterit quae ab superioribus transtulerint quaeque ex suo addiderint. Itaque nunc occasione oblata quantum possumus de fontibus ex quibus Stoici ethica hauserint quidque novi ab iis in ethicis allatum sit disputabimus, ut num illa crimina Stoicis et a veteribus et a recentioribus obiecta in eos cadant intellegamus. At hac in disputatione priores Stoicos fere solos Zenonem Cleanthem Chrysippum respiciemus qui moralem partem philosophiae cum aliis eius partibus conectere cupierint atque hanc disciplinam in artis ordinatae redigere modum, cum posteriores Stoici Epictetus Musonius M. Aurelius ad severitatem vitae certe redierint praeceptaque dederint cum primis Stoicis congruentia, at haec praecepta moralia singula summa lege inter se contexere praeter Senecam non ita studeant, cumque qui medii Stoici nominantur Diogenes Babylonius Panaetius Posidonius alii ad placita aliorum philosophorum multo magis declinent neque digni sint qui veri et sinceri Stoici nominentur, ita ut his summo iure sine longa disquisitione obici possit, quod quicquid aliorum philosophorum placuisset illis proprium reddiderint. —

Facillimum videtur exquirere a quibus philosophis Stoici placita sua transtulerint, si praeceptores Zenonis cognoverimus, cum veri simile sit illum ab iis quorum scholas adiisset multa sumpsisse, ac revera si hanc viam institerimus a veritate non procul aberrabimus. Zenonem ipsum Citieum mercatore quodam natum, cum iam a puero philosophiae ita esset deditus ut Mnaseas pater ei multos Socraticorum libros etiamtum infanti adveheret Diog. VII, 31,

„fortuna iussit expeditius philosophari" Sen. de Tranquill. An. c. 14. Postquam enim more patris purpuram ex Phoenice mercatus ad Piraeeum naufragium fecit omniaque sua submersa audivit, Athenas ascendit et in taberna libraria consedit ubi memorabilia Xenophontis legens bibliopolam interrogavit ubinam tales homines quales in hoc libro cognosceret posset convenire. Tum praetereuntem forte fortuna Cratetem Cynicum bibliopola digito ostendens „istum inquit sequere." Unde Zeno in familiaritatem Cratetis omnino Cynicorum venit Diog. VII, 2, squ. Quamvis valde dubitare liceat num haec fabella sit vera, cum idem Diogenes alias quoque fabulas afferat quibus Zeno alio modo ad philosophiam adductus esse narratur, tamen Zenonem mox, cum primum ad philosophiam strenue incumbere constituisset, scholas Cynicorum praecipue Cratetis adiisse constat neque quisquam quin multa vel plurima a Cynicis sumpserit dubitabit. Ac iam antiquis temporibus multi concesserunt Stoicos a Cynicis esse profectos, etiamsi Cicero qui se philosophia Stoicorum accuratissime esse imbutum facit hanc propinquitatem fere nullo loco memorat, quia ab Antiocho praeceptore de hac re non erat edoctus cf. Schleierm. Grundl. p. 157; tamen de Off. I, 35, 128 quosdam Stoicos fuisse paene Cynicos dicit. At ab aliis Antisthenes vel princeps Stoicae disciplinae nominatur Diog. VI, 14: *δοκεῖ δὲ καὶ τῆς ἀνδρωδεστάτης Στωϊκῆς κατάρξαι· ὅθεν καὶ Ἀθήναιος ὁ ἐπιγραμματοποιὸς περὶ αὐτῶν (Κυνικῶν) φησιν οὕτως·*

Ὦ Στωϊκῶν μύθων εἰδήμονες ὦ πανάριστα
δόγματα ταῖς ἱεραῖς ἐνθέμενοι σελίσιν
τὰν ἀρετὰν ψυχᾶς ἀγαθὸν μόνον· ἅδε γὰρ ἀνδρῶν
μούνα καὶ βιοτὰν ῥύσατο καὶ πόλιας·
σαρκὸς δ' ἡδυπάθημα φίλον τέλος ἀνδράσιν ἄλλοις
ἡ μία τῶν μνήμης ἤνυσε θυγατέρων.

Cf. Diog. VI, 15: *οὗτος (Ἀντισθένης) ἡγήσατο καὶ τῆς Ζήνωνος καρτερίας*; VI, 104: *ἐπεὶ καὶ κοινωνία τις ταῖς δύο ταύταις αἱρέσεσίν ἐστιν (τῇ Στωϊκῇ καὶ τῇ Κυνικῇ)*. Cf. Lips. Manud. I diss. 13: „Antea Zenonii appellabantur et cur non Cynici? — Nam revera sunt paene eidem. — Quidni videatur? dogmata consentiunt, in vita et cultu aliquid mutant." Zeno ipse quamdiu vixit Cynicis valde erat addictus itaque *ἀπομνημονεύματα Κράτητος ἠθικά* scripsit Diog. VII, 4, atque per eos Socratis doctrina fuisse imbutus videtur, cum Cynici sibi veri esse Socratici sicut omnes Socratis discipuli viderentur.

Posteri Stoici magis magisque a Cynicis digressi sunt inprimis Chrysippus qui in dialectica multo plus operae posuit itaque a Cynicis plane diversam rationem instituit. Qui Chrysippum exceperunt eius vestigiis ingressi fere obliti esse videntur Stoicam scholam a Cynicis esse profectam, cum postremi Stoici a Chrysippo institutam viam deserentes ad principium suum philosophiae quasi redierint et multo magis quam Zeno ipse eadem quae Cynici censuerint. Quin etiam a Seneca Demetrius Cynicus quidam philosophus cuius Cynica vox affertur noster vocatur, qua ex re elucet Senecam nullam differentiam inter suam et Cynicam disciplinam statuisse Ep. 91, 19.

Zeno ipse quod erat *αἰδήμων ὡς πρὸς τὴν κυνικὴν ἀναισχυντίαν* a Cynicis postea paululum recessit Stilponemque adiit Diog. VII, 2; 24; II, 120, qui inventione argumentationum arteque philosophandi tantopere alios praecessisse fertur *ὥστε μικροῦ δεῆσαι τὴν Ἑλλάδα ἀφορῶσαν εἰς αὐτὸν μεγαρίσαι* Diog. II, 113. Stilpo autem id agens ut Cynicam et Megaricam disciplinam inter se coniungeret placita Cynicorum de morali parte philosophiae in Megaricam transtulit, cum antea Megarici fere soli dialecticae operam dedissent, neque mirari possumus, quod Zeno qui ab Cynicis ad ethica maxime impulsus erat praecipue a Stilpone qui eodem modo ethica excoluit sit allectus. Cf. de Stilpone Zeller Phil. d. Gr. II, 1, p. 195 squ. edit. sec. Cum Zeno a Stilpone praecipue didicisse videatur quomodo moralis et logica pars philosophiae inter se essent coniungendae, de ipsis dialecticis a Diodoro edoctus est Diog. VII, 25; cf. VII, 16, qui paene omnes Megaricos arte dialectica et eristica superavit et cuius notissima illa conclusio qui *λόγος κυριεύων* nominatur vel multo post summis laudibus effertur Epict. Diss. II, 19, 1; cf. Zeller II, 1, p. 176.

At Zeno ne Megaricorum quidem perpetuus fuit sectator, sed postea Academicis Xenocrati et Polemoni se dedidit Diog. VII, 2; 25; cf. Cic. Fin. IV, 2, 3; IV, 22, 60 alios locos, a quibus eum perplurima accepisse Cicero inprimis affirmat. Zeno igitur tres scholas philosophicas adiit neque errabimus, si eum ab omnibus tribus multa assumpsisse dixerimus nescio an minimas res a Megaricis. Sed non solum scholas tum Athenis docentium philosophorum frequentavit, sed etiam ad libros priorum legendos summo studio se contulit, sicut Hecato et Apollonius Tyrius narrant oraculum quoddam causam huius studii afferentes Diog. VII, 2: *χρηστηριαζομένου αὐτοῦ (Ζήνωνος) τί πράττων ἄριστα βιώσεται ἀποκρίνασθαι τὸν θεόν· εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς ὅθεν ξυνέντα τὰ τῶν ἀρχαίων ἀναγιγνώσκειν.* Postquam Zeno totos viginti annos philosophis quos memoravimus operam dedit aliorumque libros legit, tandem ipse scholas in porticu *ποικίλῃ* habuit aliena cum suis commiscens more quasi Phoenicum unde iam a veteribus scriptoribus Phoenix vel Poenulus saepius appellabatur Diog. VII, 25; Cic. Fin. IIII, 20, 56, cum accederet quod in colonia Phoenicum natus erat.

Quod ex catalogo Zenonis librorum Diog. VII, 4 cognosci possit, Zeno ethicis maximam operam navavit atque hanc philosophiae partem apud Stoicos primum obtinuisse locum notissimum est. Primi fuerunt qui philosophiam in tres partes claris verbis dividerent in physica ethica logica Diog. VII, 34, atque Diogenes quidem similia quaedam affert quae physicis primum locum tribuere videntur VII, 40: *εἰκάζουσι δὲ ζώῳ τὴν φιλοσοφίαν ὀστοῖς μὲν καὶ νεύροις τὸ λογικὸν τῇ δὲ ψυχῇ τὸ φυσικόν· ἢ πάλιν ᾠῷ, τὰ μὲν γὰρ ἐκτὸς εἶναι τὸ λογικὸν τὰ δὲ μετὰ ταῦτα τὸ ἠθικὸν τὰ δ' ἐσωτάτω τὸ φυσικόν*, cui loco multi alii opponi possunt ex quibus luce clarius est ad ethica in philosophia Stoica omnia referri. Nam ne afferamus Sextum Empiricum qui adv. Math. p. 194 ed. Bekker illud simile ovi aliter enarrat ita ut vitello quem quidam pullum esse dicant similis sit quae ad mores pertineat pars, et Posidonium facit moralem partem philosophiae cum anima hominis comparantem, idem Diogenes eodem loco Stoicos refert philosophiam cum agro comparasse frugifero ita ut circumiecta sepes

esset logice, ethice fructus, arboresque humusque physice, et Chrysippus ipse quem cum logicae multum daret operae ethicem minoris aestimasse veri simile est, tamen hanc partem finem philosophiae esse confitetur Plut. de Stoic. Rep. c. 9: *οὐκ ἄλλου τινὸς ἕνεκεν ἡ φυσικὴ θεωρία παραληπτή ἐστιν ἢ πρὸς τὴν περὶ ἀγαθῶν ἢ κακῶν διάστασιν;* cf. Plut. de Plac. Phil. prooem: *οἱ μὲν οὖν Στωϊκοὶ ἔφασαν — τὴν φιλοσοφίαν ἄσκησιν τέχνης ἐπιτηδείου· ἐπιτήδειον δ' εἶναι μίαν καὶ ἀνωτάτω τὴν ἀρετήν*, quae sententia prorsus cum multis Senecae locis congruit ubi philosophiam nil aliud nisi vitae legem esse exponit Ep. 94, nisi rectam vivendi rationem vel honeste vivendi scientiam vel artem rectae vitae agendae fragm. ed. Haase IX; cf. Ep. 20, 2; 16, 3; 89, 5. At haec sententia de loco qui philosophiae ad mores pertinenti sit tribuendus haudquaquam cum illis quae ex Diogene attulimus pugnat. Primum locum ethica semper apud Stoicos obtinuerunt, etiamsi perpauci usque eo progressi sunt ut cum Aristone Chio naturalem et rationalem partem philosophiae non tantum supervacuas esse dicerent sed etiam contrarias Sen. Ep. 89, 13; at physica quibusdam pluris aestimanda videntur quam ethica quod ipse homo naturae legi subicere se debeat cf. Zeller III, p. 21 squ.

Ceterum Stoici non primi ethica tanti aestimaverunt, cum iam antea Cynici fere nulli parti philosophiae nisi morali operam dedissent qui a Socrate acceperant in philosophia non solum physicas quaestiones esse tractandas sed etiam ethicas, hoc autem ita converterunt ut totam logicen et physicen prorsus neglegerent Diog. VI, 103: *ἀρέσκει οὖν αὐτοῖς τὸν λογικὸν καὶ τὸν φυσικὸν λόγον περιαιρεῖν ἐμφερῶς Ἀρίστωνι τῷ Χίῳ, μόνῳ δὲ προσέχειν τῷ ἠθικῷ*, et id solum inquirendum esse dicerent

ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

(Idem dé Cyrenaicis refertur Euseb. Praep. Ev. I, 8, 9). Quin etiam *τὰ ἐγκύκλια μαθήματα* omnino repudiasse narrantur eodem loco et docuisse ad beatam vitam sufficere virtutem nulla re indigentem nisi viribus Socratis Diog. VI, 11. Logica et physica negaverunt esse tractanda nisi ad ethica utilia essent (cf. Cyrenaicorum sententiam de hac re Diog. II, 92), qua in doctrina Stoici iis plane faverunt: physica enim hi propterea tantum excoluerunt ut iis naturae leges cognoscerentur quibus convenienter homo unusquisque vivere deberet, et logicae principalis apud eos pars erat quam magis excoluerunt doctrina qua docetur quomodo verum cognoscatur, ita ut omnes philosophiae partes apud Stoicos ad ethica spectarent. Hoc cynicum esse nemo est qui neget, quamvis Cynici multo longius sint progressi quam Stoici eos secuti sunt. Nam etsi Zeno ipse initio Politicorum eodem modo quo Diogenes Cynicus *τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν* inutilem esse declaravit Diog. VII, 32, tamen physica apud Stoicos multum valuisse iam supra ostendimus eaque ab iis diligentissime esse tractata non est cur hic demonstremus. Itaque Stoici a Socrate qui scientiam vel propter se ipsam, non solum quatenus ad mores pertineret, esse expetendam putavit — id quod nisi censuisset fieri non potuisset, ut Plato discipulus Socratis scientiam eius quod per se esset ideae plurime persequeretur — paululum deflexisse, attamen via quam Cynici ingressi erant eos non plane esse secuti mihi videntur atque medium quasi inter Socratem eiusque discipulum Antisthenem tenere.

Ut Aristoteles huius rei auctor esset fieri non potuit quem, quamquam moralem partem philosophiae haudquaquam neglexit, tamen metaphysica multo pluris habuisse iam hac re potest cognosci, quod metaphysica *πρώτην φιλοσοφίαν* nominavit et quod *βίον θεωρητικὸν* aliis vivendi rationibus praetulit, cui sententiae Chrysippus apertissime contradicit Plut. de Stoic. Rep. c. 2: *ὅσοι δὲ ὑπολαμβάνουσι φιλοσόφοις ἐπιβάλλειν μάλιστα τὸν σχολαστικὸν βίον ἀπ' ἀρχῆς, οὗτοί μοι δοκοῦσι διαμαρτάνειν ὑπονοοῦντες διαγωγῆς τινος ἕνεκεν δεῖν τοῦτο ποιεῖν ἢ ἄλλου τινὸς τούτῳ παραπλησίου καὶ τὸν ὅλον βίον οὕτω πως διελκύσαι.* Neque a Platone cui scientia idearum rerum quae per se essent longe plurimi erat hanc sententiam Stoicos sumpsisse nobis erit evincendum. Utrum autem Zeno primus in hoc inciderit ut ethicae principalem locum tribueret neque alias partes philosophiae prorsus neglegeret, an per alios ad hoc sit adductus velut per Stilponem disceptari non potest. Hic enim quomodo ethica Stoicorum cum theoretica Megaricorum doctrina coniunxerit cognoscere non possumus. Veri simillimum est Zenonem a Xenocrate aliisque Academicis tale quid didicisse quos aliis philosophiae partibus non neglectis in ethicis multo magis Platone fuisse occupatos ex catalogo librorum Xenocratis elucet Diog. IV, 11 ss.; cf. IV, 18: *ἔφασκε δὲ ὁ Πολέμων δεῖν ἐν τοῖς πράγμασι γυμνάζεσθαι καὶ μὴ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς θεωρήμασι καθάπερ ἁρμονικόν τι τέχνιον καταπιόντα καὶ μὴ μελετήσαντα ὡς κατὰ μὲν τὴν ἐρώτησιν θαυμάζεσθαι κατὰ δὲ τὴν διάθεσιν ἑαυτοῖς μάχεσθαι.*

Stoici iidem ethicen ab doctrina de republica prorsus seiunxerunt, cum Plato ethica praecipue in libris de republica respexisset, separatos autem de morali phhilosophiae parte libros non scripsisset. Aristotelis quidem etiamnunc exstant separati, at eos ab Aristotele ipso cum Politicis esse coniunctos et ethica propter politica ab eo esse exculta cum ex initio tum ex fine ethicorum Nicomacheorum cognoscere licet. Uterque beatum hominem existere non posse censuit nisi in civitate neque honestum quod proprie vereque diceretur apparere posse nisi in societate hominum, itaque iis aeque ac paene omnibus illius temporis Graecis civitas multo pluris erat quam singuli homines. Ergo et Plato et Aristoteles rationem qua singuli homines vivant rationi civitatis recte administrandae prorsus subiunxerunt. Stoici quamvis et ipsi doctrinae civitatum administrandarum operam darent id quod ex libris a Zenone de republica, de legibus Diog. VII, 33 de iisdem argumentis a Chrysippo Plut. de Stoic. Rep. c. 8 et saepius scriptis apparet, tamen homines singulos vel extra societatem aliorum versantes beatos esse posse dixerunt, hac in re Cynicos et Cyrenaicos secuti qui suum sapientem ex communione hominum exceperunt, quamquam et hi ipsi libros de republica de legibus alios de similibus argumentis scripserunt Diog. VI, 16; 18; 80; Athen. V, 220. —

Cum iam disseruerimus quibus philosophis Zeno praeceptoribus usus sit, ita ut mirari non possimus si invenicmus ab illis multa Zenonem accepisse, et cum docuerimus quantum disciplina ethica in philosophia Stoicorum valuerit, ita ut omnia alia ab illa penderent, nunc iam ad singulas ethicae partes transeamus atque demonstrare conemur quid ab aliis accepti, quid novi in his singulis partibus Zeno aliique Stoici tradiderint. Qua in re ad dialecticas

Stoicorum argutias non descendemus quae paene verbis solis contineantur, sed nil attingemus nisi graviora neque tamen hanc disquisitionem quae est eius difficultas ad finem perducere posse nobis videmur. Atque primum quidem de summo fine de principio quo omnes aliae quaestiones morales sunt referendae disputabimus.

Physiologi Ionici qui ethicae omnino fere nullam operam dabant ne summum finem quidem vitae definierunt, quamvis vel illo tempore iam beatitudo finis vitae haberetur, id quod apparet ex fabula illa quae de Solone et Croeso narratur, et multi in quaestione quibus rebus beatitudo contineretur videntur etiamtum esse versati. Cum antiquiori tempore externa bona plurimum valerent ad beatitudinem, iam Solo ad aliam deflexit sententiam Arist. Eth. Nic. 1179, a, 9 ss., et Anaxagoras Pythagoras Democritus alii bona animae multo pluris quam externa habuerunt. Anaxagoras in definienda beatitudine omnia externa bona contemnit et, cum quem beatissimum haberet interrogatus esset, respondit Arist. Eth. Eud. 1215, b, 6: *Οὐδεὶς ὧν σὺ νομίζεις ἀλλ' ἄτοπος ἄν τίς σοι φανείη*, cui voci scriptor ethicorum Eudemiorum adicit *τοῦτον δ' ἀπεκρίνατο τὸν τρόπον ἐκεῖνος ὁρῶν τὸν ἐρόμενον ἀδύνατον ὑπολαμβάνοντα μὴ μέγαν ὄντα καὶ καλὸν ἢ πλούσιον ταύτης τυγχάνειν τῆς προσηγορίας. αὐτὸς δ' ἴσως ᾤετο τὸν ζῶντα ἀλύπως καὶ καθαρῶς πρὸς τὸ δίκαιον ἢ τινος θεωρίας κοινωνοῦντα θείας τοῦτον ὡς ἄνθρωπον εἰπεῖν μακάριον εἶναι* cf. Eth. Nic. 1179, a, 13; Clem. Alex. Strom. II, p. 179, 26. Neque Pythagoras beatitudinem externis bonis constare putavit ut Heraclides Ponticus refert Clem. Alex. l. l. 27: *Πυθαγόραν ἱστορεῖ—τὴν ἐπιστήμην τῆς τελειότητος τῶν ἀρετῶν τῆς ψυχῆς εὐδαιμονίαν εἶναι παραδεδωκέναι*, cf. tamen de hoc Pythagorae placito Zeller Phil. d. Griech. I, 1, p. 335 annot. 6. Democritus neque gregibus dicit contineri beatitudinem neque auro Stob. Ecl. Eth. p. 76 eamque *εὐθυμίαν* sive *εὐεστὼ ἁρμονίαν συμμετρίαν ἀταραξίαν* vocavit, cf. Clem. Alex. p. 179, 30; Diog. IX, 45. Heracliti summum bonum externis bonis non contineri mirari non possumus, quam *εὐαρέστησιν* nominavit Clem. Alex. l. l. 27, Theodor. Cur. gr. aff. XI, 6 et eo quod singuli homines legi universae subicerentur comparari declaravit.

Sic priores philosophi iam finem vitae proposuerunt quem quidem num *τέλος* vocaverint sicut posteriores philosophi dubito, quamvis multis scriptorum locis de *τέλει* horum philosophorum disputetur et Clemens Democriti vel librum *περὶ τέλους* afferat l. l. p. 179, 30. Socrates quod sciamus de summo fine vitae verbis disertis non disputavit (cf. tamen Arist. Eth. Eud. 1216, b, 3), quamquam et ipse *εὐδαιμονίαν* finem summum omnibus hominibus videtur declarare Xen. Memor. III, 2, 4; IV, 1, 2. At tantum abest ut Socrates quibus rebus haec beatitudo vel hic summus finis constaret declaraverit, ut quicquid homini utile esset bonum esse doceret itaque ad beatitudinem singulorum efficiendam valere Xen. Memor. IV, 6, 8 s. aliisque locis; qua ex re elucet Socratem bonum summum non definiisse, cf. Zeller II, 1, p. 103.

Plato bonum per se *τἀγαθόν* proposuit, neque hoc bonum apud Platonem in metaphysicis plus valet quam in ethicis; nam omnes homines id agere debent ex Platonis doctrina ut huius

summi boni participes fiant, quod si adepti sunt *εὐδαιμονίαν* acceperunt quae est possessio boni. Et ipse Plato *εὐδαιμονίαν* hominibus finem proposuit id quod apparet ex Symposio 204, E; cf. Zeller II, 1, p. 555. Eodem modo quo Plato omnes Socratis discipuli *εὐδαιμονίαν* summum bonum esse docuerunt, ut Cynici *ἀρετὴν αὐτάρκη εἶναι πρὸς εὐδαιμονίαν* docent itaque omnia in vita humana ad beatitudinem esse referenda. Atque hi minores Socratici primi voce *τέλους* pro summo bono quod omnibus hominibus appetendum esset usi esse videntur, cum Plato de bono per se non de summo fine magis disputavisset; apud scriptores enim qui dogmata Socraticorum minorum exponunt in describenda eorum doctrina haec vox plurime usurpatur, et Aristoteles hoc vocabulo quasi notissimo utitur. Hic definitionem quasi huius vocis affert Eth. Nic. 1094, a, 18: *εἰ δή τι τέλος ἐστὶν τῶν πρακτῶν ὃ δι' αὐτὸ βουλόμεθα τἄλλα δὲ διὰ τοῦτο καὶ μὴ πάντα δι' ἕτερον αἱρούμεθα*, quam postea Stoici acceperunt: *τέλος οὗ ἕνεκα πάντα πράττεται μὲν αὐτὸ δὲ πράττεται οὐδενὸς ἕνεκα* Stob. Ecl. Eth. p. 138; p. 54: *τέλος ἐστὶν ἐφ' ὃ πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ πραττόμενα καθηκόντως τὴν ἀναφορὰν λαμβάνει*, cf. p. 136.

Tempore Aristotelis cum philosophi tum vulgus summum finem vel summum bonum et beatitudinem eandem esse rem censuerunt Arist. Eth. Nic. 1095, a, 17: *ὀνόματι μὲν οὖν σχεδὸν ὑπὸ τῶν πλείστων ὁμολογεῖται (τί τῶν πάντων ἀκρότατον πρακτῶν)· τὴν γὰρ εὐδαιμονίαν καὶ οἱ πολλοὶ καὶ οἱ χαρίεντες λέγουσιν, τὸ δ' εὖ ζῆν καὶ τὸ εὖ πράττειν ταὐτὸν ὑπολαμβάνουσι τῷ εὐδαιμονεῖν*. Atque hanc sententiam et philosophorum et vulgi Stoici in suam disciplinam acceperunt nullo modo mutantes, quamquam si ethica Stoicorum primum inspicimus haudquaquam beatitudini singulorum studere videntur. Summum bonum vel summum finem et beatitudinem iis eandem rem esse multis ex locis apparet sicut ex Stobaeo Ecl. Eth. p. 138: *τέλος δέ φασιν εἶναι τὸ εὐδαιμονεῖν*; Sen. de Vita beata I, 1: „Vivere omnes beate volunt;“ Stob. l. l. p. 138: *τὴν δὲ εὐδαιμονίαν σκοπὸν ἐκκεῖσθαι, τέλος δ' εἶναι τυχεῖν τῆς εὐδαιμονίας ὅπερ ταὐτὸν εἶναι τῷ εὐδαιμονεῖν*, cf. p. 114. De differentia inter *σκοπόν* et *τέλος* more Stoico notionum acutius distinguendarum illata cf. Lips. Manud. II, diss. 13. Stoici igitur in summo fine proponendo cum superioribus Graecorum philosophis arctissime cohaerent, cum eum singulis hominibus esse summum finem doceant, ut beatitudinem sibi comparent, quam quidem beatitudinem haudquaquam cum voluptate cum sensu maxime ad singulos homines pertinenti esse commiscendam mox iam videbimus.

Beatitudinem vel summum bonum ipsum Stoici vario modo definierunt, attamen in summa re omnes consenserunt. Zeno *τέλος* esse docuisse fertur *ὁμολογουμένως ζῆν, τοῦτο δ' ἐστὶ καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον ζῆν ὡς τῶν μαχομένων ζώων κακοδαιμονούντων* Stob. Ecl. Eth. p. 132, itaque hominibus eum finem proposuit ut illam *ὁμολογίαν παντὸς τοῦ βίου* Diog. VII, 89 convenientiam vel concordiam animi sibi pararent, quam si parassent fieri non posse Stoici docuerunt quin secundum rectam rationem i. e. secundum rationem per totam naturam et per animos hominum diffusam agerent. Cum hac concordia animi etiam illa notissima *εὔροια* Stoicorum arctissime cohaerere videtur qua Zeno iam dicit beatitudinem constare Sext. adv. Math. XI, p. 551 ed. Bekker; Diog. VII, 88; Stob. Ecl. Eth. p. 138; M. Aur. X, 6, quam ut

vacuitatem ab omni acriori impetu declarem adducor loco ex enchiridio Epicteti c. 13: *Μὴ ζήτει τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς θέλεις ἀλλὰ θέλε τὰ γινόμενα ὡς γίνεται καὶ εὐροήσεις*, ubi *εὐροεῖν* sine ullo dubio est tranquillo vitae cursu uti. — Non erat cur Zeno adderet *τῇ φύσει* quod eum iam adiecisse Diogenes VII, 87 refert. Ut statuamus a Zenone iam additum esse *τῇ φύσει*, certe vel inter priores Stoicos exstiterunt qui *ὁμολογουμένως ζῆν* vel *ὁμολογίαν* solam finem vitae haberent, id quod iam ex definitione virtutis esse eam *διάθεσιν ὁμολογουμένην* Diog. VII, 89 et ex multis Senecae locis apparet, quorum duo solos afferre satis erit de Vita beata 8, 6 s.: „Quare audaciter licet profitearis summum bonum esse animi concordiam; virtutes enim ibi esse debebunt ubi consensus atque unitas erit: dissident vitia," Ep. 20, 5: „Quid est sapientia? Semper idem velle atque idem nolle, licet illam exceptiunculam non adicias ut rectum sit quod velis: non potest enim cuiquam idem semper placere nisi rectum." Cf. omnino de hac convenientia Zenonis Lipsii Manuduct. II diss. 15 et de aliis Stoicorum definitionibus summi boni dissertationes sequentes, qui de his rebus uberrime tractat neque suas sententias in Stoicorum doctrinam transfert.

Primus secundum Stobaeum p. 134 Cleanthes *τῇ φύσει* addidit, cum existimaret Zenonem minus pro re dixisse et normam adicere vellet qua Zenonis convenientia efficeretur et regeretur. Stobaeo assentitur Clemens Alex. Strom. II p. 179, 10, qui cum Zenonem finem definiisse referat *κατ' ἀρετὴν ζῆν*, Cleanthem narrat docuisse summum finem esse *ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν*.*) Hanc naturam Cleanthes communem tantummodo suscipit non particularem Diog. VII, 89, cum Chrysippus eadem definitione usus et communem et particularem hominum intellegat. Cleanthem multo severiorem quam ceteros Stoicos naturam humanam et vitam singulorum fere non respexisse etiam intellegere possumus ex eius hymno in Iovem et praecipue ex versibus illis notissimis Epict. Enchir. c. 52, quibus Epictetus Euripidis duos adicit:

Ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ καὶ σύ γ' ἡ Πεπρωμένη
Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος·
Ὡς ἕψομαι γ' ἄοκνος· ἢν δὲ μὴ θέλω
Κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.
Ὅστις δ' ἀνάγκῃ συγκεχώρηκεν καλῶς
Σοφὸς παρ' ἡμῖν καὶ τὰ θεῖ' ἐπίσταται.

Quam doctrinam postremi Stoici inprimis Epictetus et M. Aurelius rursus amplexi sunt, quin etiam apud Senecam invenies de Vita beata 15, 7: „Quicquid ex universi constitutione patiendum est magno suscipiatur animo — in regno nati sumus, deo parere libertas est." Tali modo voluntas propria hominum prorsus tollitur neque ulla ratio naturae humanae habetur. Multo mitiorem finem iam Chrysippus aliique eum excipientes Stoici proposuerunt *τὸ*

*) *ἐν τῷ εὐλογιστεῖν, ὃ ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ κεῖσθαι διελάμβανεν*, quae verba in Cleanthis definitione summi finis apud Clementem praeterea inveniuntur, ad Cleanthem referri non possunt; dubitare non possumus quin lacuna in Clemente hic sic statuenda, cum *τὸ εὐλογιστεῖν ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ τέλος* Diogenis sit Diog. VII, 88, cf. Stob. p. 134. Hoc iam rectissime Lipsius vidit Manud. II, diss. 16.

κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων ζῆν Stob. l. l. p. 134; Diog. VII, 87; Cic. Fin. III, 9, 31: „Relinquitur ut summum bonum sit vivere scientiam adhibentem earum rerum quae natura eveniant, seligentem quae secundum naturam et si quae contra naturam sunt reicientem.“ Ceterae definitiones quae afferuntur Diogenis Antipatri Archedemi Posidonii Panaetii apud Diogenem Stobaeum Sextum Clementem hoc unum commune habent quod summum finem ponunt in eo ut homines rationem sequantur optimam partem ipsorum quae particula est communis et rectae rationis per omnes transeuntis neque ullo modo distantis ab Iove principe gubernatore, itaque vel summus finis definitur *κατὰ λόγον ζῆν* Diog. VII, 86.

Praeter has diversas definitiones Stoici omnes *τέλος* etiam definierunt *κατ' ἀρετὴν ζῆν* Stob. Ecl. Eth. p. 138; 140; Diog. VII, 87; Clem. Alex. Strom. II, 179, 9. Sed hac definitione finis summus minus accurate explicitus erat itaque alias formulas summi boni quaesiverunt et proposuerunt.

Si has formulas accuratius inspexerimus, praeter illam obedientiam rationis qua omnia agantur ex concordia uniuscuiusque genii cum voluntate gubernatoris omnium alterum quoque omnibus commune inveniemus (praesertim si Diog. VII, 85–89 accuratius perlegerimus), summum finem hominibus esse ut id impleant cui nascantur, cui natura eos destinaverit itaque p r o p r i u m h o m i n u m b o n u m adipiscantur. Primum enim virtutem Stoici a natura commendatam esse nobis dicunt Diog. l. l.: *τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν ὅπερ ἐστὶ κατ' ἀρετὴν ζῆν· ἄγει γὰρ πρὸς ταύτην ἡμᾶς ἡ φύσις*, cf. Stob. Ecl. Eth. p. 116. Quin etiam illa concordia animi vel constantia in nobis a natura insita est Diog. VII, 89: *ἐν αὐτῇ τ' εἶναι τὴν εὐδαιμονίαν ἅτ' οὔσῃ ψυχῇ πεποιημένῃ πρὸς τὴν ὁμολογίαν παντὸς τοῦ βίου*, itaque nil implemus, si constantes nobis semper fimus, nisi indolem nobis a natura datam. Clarissimum est hoc definitionibus Stoicis summi finis commune in *τέλει* Chrysippi: *ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν ὅπερ ἐστὶ κατά τε τὴν αὑτοῦ καὶ κατὰ τὴν τῶν ὅλων* Diog. VII, 88, id quod etiam apud Senecam sensu Chrysippeo habes explicitum Ep. 41, 9: „Quid est autem quod ab illo ratio haec exigat? Rem facillimam secundum naturam s u a m vivere.“ Nobis autem ratio propria data est cuius possessione nos ab animalibus differamus, nostrum igitur erit praecipue hoc proprium bonum excolere idque semper sequi: ratio enim nostram totam vitam regere debet inprimis impetum irrationalem quem et ipsis animalibus ceteris natura dedit quibus, cum ratione careant, secundum naturam vivere est *τὸ κατὰ τὴν ὁρμὴν διοικεῖσθαι* Diog. VII, 86; *τοῦ δὲ λόγου* Diogenes nescio an Chrysippum sequens pergit *τοῖς λογικοῖς κατὰ τὴν τελειοτέραν προστασίαν δεδομένου τὸ κατὰ λόγον ζῆν ὀρθῶς γίνεσθαι αὐτοῖς τὸ κατὰ φύσιν. τ ε χ ν ί τ η ς γ ὰ ρ ο ὗ τ ο ς γ ί ν ε τ α ι τ ῆ ς ὁ ρ μ ῆ ς.* Itaque secundum Stoicos hic hominum proprius est finis ut assequantur ad quod natura eos genuit et conformavit, quam doctrinam a Seneca vel claris verbis expressam invenies Ep. 41, 9: „C o n s u m m a t u r h o m i n i s b o n u m, s i i d i m p l e v i t c u i n a s c i t u r,“ cf. M. Aur. IX, 42.

Minime quidem huic sententiae inter Stoicos Cleanthes favere videtur qui vult ut homines secundum communem naturam vivant et postremi Stoici, ut Epictetus e. g. Diss. I, 12 dicit:

ὁ καλὸς καὶ ἀγαθὸς τὴν αὐτοῦ γνώμην ὑποτέταχε τῷ διοικοῦντι τὰ ὅλα καθάπερ οἱ ἀγαθοὶ πολῖται τῷ νόμῳ τῆς πόλεως. Attamen partes naturae universi sunt naturae nostrae Diog. VII, 87 itaque, si secundum naturam universi vivimus, fieri non potest quin secundum nostram illius partem vivamus, quapropter Chrysippus ausus est τὴν κοινὴν καὶ ἰδίως τὴν ἀνθρωπίνην addere Diog. VII, 89, cf. M. Aur. III, 3. Ergo ne Cleanthes quidem prorsus ab eo quod commune in definitionibus Stoicorum summi finis invenimus dissentit, at confitendum est in eius doctrinam hoc commune minus quam in alios cadere.

Sic definitionibus finis ultimi Stoici expositis iam quaeramus quid Stoicis in iis proprii sit, quid ab aliis acceperint. Illud primum et omnibus probatum hominum finem esse κατ' ἀρετὴν ζῆν iam ab aliis vel eodem vel simili modo propositum habemus et hac in re praecipue Cynicos Stoici secuti esse nobis videntur, cum Antisthenes in Heracle iisdem verbis dicat: τέλος εἶναι τὸ κατ' ἀρετὴν ζῆν Diog. VI, 104, et Diogenes ipse adicit ὁμοίως τοῖς Στωϊκοῖς. Vitam quidem secundum virtutem ab aliis quoque tum temporis habitum esse ultimum finem ex Aristotele intellegere licet qui εὐδαιμονίαν definit ἐνέργειαν κατ' ἀρετὴν τελείαν Eth. Nic. 1102, a, 5, in actione igitur secundum virtutem undique perfectam finem summum ponit. Stoicos ab eo valde differre qui doceant non virtutis usum modo sed ipsum habitum esse iam praeclarum primo obtutu intellegitur, ad quam differentiam postea recurremus cum quibus rebus beatitudo contineatur apud Stoicos explicabimus. In hac igitur definitione Stoici nil novi invenerunt, immo quod plurimi homines de moribus cogitantes tamquam verum tum temporis receperant in suum converterunt.

Multo magis quod τέλος Zenoni attribuitur Stoicorum proprium videtur esse τὸ ὁμολογουμένως ζῆν illa concordia animi. Nam etiamsi vel ante Stoicos voces inveniuntur quibus inculti inconstantes esse dicuntur contra sapientes constantes e. g. quae Socratis esse fertur Stob. Serm. IIII: Ὁ μὲν Πρωτεὺς τῇ μορφῇ, ὁ δ' ἀπαίδευτος τῇ ψυχῇ παρ' ἕκαστον ἀλλοιοῦται, tamen ab nullo philosopho ante Stoicos haec ὁμολογία summus finis describitur.

Illam quidem decantatam definitionem τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν Zeno vel Stoici a Polemone omnino ab Academicis accepisse narrantur, sed hanc formulam accuratius definiisse Cic. Fin. IIII, 6, 14: „Cum enim superiores e quibus planissime Polemo secundum naturam vivere summum bonum esse dixissent, his verbis tria significari Stoici dicunt: unum eius modi vivere adhibentem scientiam earum rerum quae natura evenirent. Hunc ipsum Zenonis aiunt finem esse (non Zenonis sed Chrysippi hic finis est, cf. ea quae de finibus singulorum Stoicorum supra disputavimus). Alterum significare idem ut si diceretur officia omnia media aut pleraque servantem vivere. Hoc sic expositum dissimile est superiori. Illud enim rectum est quod κατόρθωμα dicebas contingitque sapienti soli. Tertium autem omnibus aut maximis rebus iis quae secundum naturam sint fruentem vivere. Hoc non est positum in nostra actione, completur enim et ex eo genere vitae quod virtute fruitur et ex iis rebus quae secundum naturam sunt neque sunt in nostra potestate. Sed hoc summum bonum quod tertia significatione intellegitur eaque vita quae ex summo bono degitur, quia coniuncta ei virtus

est, in sapientem solum cadit: .isque finis bonorum, ut ab ipsis Stoicis scriptum videmus, a Xenocrate atque ab Aristotele constitutus est."

Veteres Academicos vitam secundum naturam summum bonum constituisse non Cicero solus Antiochum sequens nobis tradit sed etiam Clemens Alexandrinus Strom. VII, 304, 42 συντάγματα Polemonis περὶ τοῦ κατὰ φύσιν βίου memorat, neque tantum ex aliis Ciceronis locis demonstrari potest Acedemicos tali modo hanc vitam descripsisse quali Cicero loco quem modo laudavimus nobis tradit cf. Acad. II, 42, 131; Fin. II, 11, 33, sed Clemens idem nobis refert Strom. II, 180, 24: Πολέμων φαίνεται τὴν εὐδαιμονίαν αὐτάρκειαν εἶναι βουλόμενος ἀγαθῶν πάντων ἢ τῶν πλείστων καὶ μεγίστων, cf. Stob. Ecl. Eth. p. 268; 278, et Plutarchus eodem modo ac Cicero Stoicis obicit, quod hoc κατα φύσιν ζῆν ab Academicis transtulerint adv. Stoic. c. 23: τίνας δὲ Ξενοκράτης καὶ Πολέμων λαμβάνουσιν ἀρχάς; οὐχὶ καὶ Ζήνων τούτοις ἠκολούθησεν ὑποτιθέμενος στοιχεῖα τῆς εὐδαιμονίας τὴν φύσιν καὶ τὸ κατὰ φύσιν; At quamquam summo iure dici potest Stoicos hanc formulam κατὰ φύσιν ζῆν fere non mutatam, cum ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν a formula κατὰ φύσιν ζῆν non differat, ab Academicis sumpsisse, tamen si explicationem huius formulae leviter tantummodo inspexeris, inter summum finem Academicorum et Stoicorum priorum magnam esse differentiam invenies, quam quidem et ipse Cicero l. l. agnoscit. Finis summus Academicorum enim haudquaquam in nostra positus est actione et potestate, cum eas res quae secundum naturam sunt ad virtutem accedere necesse sit ut beatitudo compleatur. Atque praecipue propter possessionem horum bonorum quae prima nobis conciliat natura summus finis ab Academicis definiri videtur βίος κατὰ φύσιν. Finis summus autem Stoicorum a nobis prorsus pendet neque ullo modo in rebus externis positus est. Itaque Stoici non merito vituperantur quod nil diversi ab Academia attulerint, cum contra atque Cicero dicere solet, verba retinuerint mutaverint res.

Multo magis quam Academicos Stoici Heraclitum in describendo summo fine secuti sunt cuius physica fere integra in suum converterunt. Cum enim Stoici praecipue Cleanthes eum hominibus summum finem proponerent ut secundum communem naturam viverent, is philosophus iis maxime placuit qui in natura eodem modo singula legi universali prorsus subiciebat atque similia moralia, quamquam non ita exculta erant, praecipiebat. Heraclitus dicit secundum εἱμαρμένην sive ἀνάγκην omnia regi Plut. Plac. Phil. I, 27; Stob. Ecl. Phys. 178, et leges humanas ab una divina pendere Stob. Serm. III, 84: τρέφονται γὰρ πάντες οἱ ἀνθρώπινοι νόμοι ὑπὸ ἑνὸς τοῦ θείου, et propterea vitam hominum quoque hac necessitate et hac una lege divina dirigendam et instruendam esse docuit Sext. adv. Math. VII, 220 ed. Bekker: διὸ δεῖ ἕπεσθαι τῷ ξυνῷ· τοῦ λόγου δὲ ὄντος ξυνοῦ ζώουσιν οἱ πολλοὶ ὡς ἰδίαν ἔχοντες φρόνησιν, quin etiam consilium naturae audiendum esse Stob. Serm. III, 84: σωφρονεῖν ἀρετὴ καὶ σοφίη ἀληθέα λέγειν καὶ ποιεῖν κατὰ φύσιν ἐπαΐοντας. Atque hoc praeceptum summum morale Stoici in suam disciplinam quasi physicum transtulerunt et magis explicaverunt et excoluerunt, inprimis Cleanthes qui singulos homines communi legi prorsus subicere non dubitavit. Hunc summum finem Cleanthis Platonis ἐξομοιώσει

θεοῦ similem esse, id quod Lipsius Manuduct. II, diss. 19 dicit, vix affirmari poterit.

At si illud quod in omnibus definitionibus Stoicis summi boni commune inesse supra ostendimus cum philosophia morali priorum comparaverimus, ut homines id impleant cui nati sunt, hoc Stoicos ab Aristotele sumpsisse nobis facile persuadebimus. Aristoteles, quamquam *τέλος* esse *ἐνέργειαν κατ' ἀρετήν* docet, eundem finem psychologico vel si malis physico modo invenit, eumque modum ac rationem Stoici omnino sunt secuti. Ut enim quid sit beatitudo vel summum bonum hominum cognoscatur, interrogat quid eorum proprium munus atque opus sit Eth. Nic. 1097, a, 22 ss. Nam ut tibicini aliisque artificibus et omnino iis qui opus aliquod efficiant in opere ipso suum bonum et summus finis consistere videatur, sic et homini, si quod eius sit opus, in eo ipso bonum summum positum esse videri et beatitudinem. Quidnam igitur hoc tandem sit? Nam quod vivat id ei commune esse videri cum omnibus plantis, hic autem proprium hominis bonum quaeri, quamobrem et illam vitam quae in alendo augescendoque consistat *(τὴν θρεπτικὴν καὶ αὐξητικὴν ζωήν)* reiciendam, ac quae posita sit in sentiendo *(τὴν αἰσθητικὴν ζωήν)* videri communem homini cum equo et bove omnibusque animalibus; relinqui ergo vitam quandam actuosam illius propriam qui ratione sit praeditus. Huius rationis autem partem alteram esse quae rationi obtemperet ipsam rationis expertem, alteram quae ratione praedita sit cogitandique munere fungatur, eoque ut haec prior pars posteriori obtemperet virtutem moralem contineri, quod hominum proprium sit bonum. Illius enim *βίου θεωρητικοῦ* mentionem facere non necesse est qui, cum in *θεωρίᾳ* divini quiddam iam insit, maior est, quam quod bonum humanum nominari possit cf. Arist. Eth. Nic. 1144, 6, 8; Alex. Aphrod. Ap. et Lys. 251, 1, ed. Spengel; ib. 284, 13 ss. Tum ergo homines summum finem adipiscuntur, cum ratio in irrationalem partem animae prorsus dominatur, quam doctrinam eodem modo psychologico ab Stoicis explicatum invenimus Diog. VII, 86: *Οὐδέν τέ φασιν διήλλαξεν ἡ φύσις ἐπὶ τῶν φυτῶν καὶ ἐπὶ τῶν ζώων ὅτι χωρὶς ὁρμῆς καὶ αἰσθήσεως κἀκεῖνα οἰκονομεῖ καὶ ἐφ' ἡμῶν τινα φυτοειδῶς γίνεται* (Aristotelis *θρεπτικὴ καὶ αὐξητικὴ ζωή*). *ἐκ περιττοῦ δὲ τῆς ὁρμῆς τοῖς ζώοις ἐπιγινομένης ᾗ συγχρώμενα πορεύεται πρὸς τὰ οἰκεῖα, τούτοις μὲν τὸ κατὰ φύσιν τὸ κατὰ τὴν ὁρμὴν διοικεῖσθαι. τοῦ δὲ λόγου τοῖς λογικοῖς κατὰ τελειοτέραν προστασίαν δεδομένου τὸ κατὰ λόγον ζῆν ὀρθῶς γίνεσθαι αὐτοῖς τὸ κατὰ φύσιν· τεχνίτης γὰρ οὗτος γίνεται τῆς ὁρμῆς.* Stoicos eodem modo atque Aristotelem quaerere quid sit hominum proprium opus et munus et in eo recte perficiendo summum finem ponere quis est quin intellegat? Hoc tantum ab Aristotele differunt, quod *τὴν ὁρμήν* naturalem impetum qui et ipsis animalibus insit ratione dirigendam esse dicunt, cum Aristoteles illam animae partem quam obtemperare deceat non *ὁρμήν* sed *ἄλογον* partem nominat cf. Eth. Nic. 1102, b, 11 ss. quae differentia inter Stoicos et Aristotelem quanta sit infra, cum de virtutibus disseremus, explicabimus. Neque nos primi hac in re Stoicos cum Aristotele congruere vidimus, sed iam Schleiermacher hoc intellexit, quamquam Stoicos et Aristotelem una eademque via hominis proprium opus quaerere in eoque

summum finem ponere non dicit Grundl. p. 136: Und ihre Herrschaft der Vernunft über den natürlichen Trieb der Selbsterhaltung ist genau dasselbe mit seinem Gehorsam des unvernünftigen Theiles gegen den vernünftigen, so dass iener diesen nicht beeinträchtige in seinem eigenen Werk und Leben.

Simile autem quiddam iam Plato docuerat eam legem moralem ferens ut *τὸ λογιστικόν* in *τὸ ἐπιθυμητικόν* et *τὸ θυμούμενον* dominetur atque in hoc dominio virtutes hominis proprias ponens. Nam iam Plato Rep. I, 353, A, cf. Zeller II, 1, 561 et multo magis posteriores Academici virtutem quaesiverunt quae hominum propria esset, ut Xenocrates beatitudinem definit *κτῆσιν τῆς οἰκείας ἀρετῆς καὶ τῆς ὑπηρετικῆς αὐτῇ δυνάμεως* Clem. Al. Strom. II, p. 180, 20, at nulli horum Stoici tantopere assentiuntur quantopere Aristoteli.

Maxima tamen differentia inter Stoicos et Aristotelem invenietur, simulac quomodo ab utrisque beatitudo accuratius describatur et explicetur interrogaverimus. Aristoteles enim beatum definit *τὸν κατ' ἀρετὴν τελείαν ἐνεργοῦντα καὶ τοῖς ἐκτὸς ἀγαθοῖς ἱκανῶς κεχορηγημένον μὴ τὸν τυχόντα χρόνον ἀλλὰ τέλειον βίον* Eth. Nic. 1101, a, 14 ss., sed ab hac definitione Stoici valde differunt. Aristoteles enim beatitudinem in usu virtutis ponit id quod iam ante eum Archytas fecisse narratur cf. Lips. l. l. III, diss. 3, at Stoici ut Cicero nobis refert Acad. I, 10, 38 non virtutis usum modo ut superiores sed ipsum habitum per se esse praeclarum docuerunt nec tamen virtutem cuiquam adesse quin ea semper uteretur, cf. Cic. Fin. III, 9, 32, et ipse Seneca de Vita beata c. 9 hanc doctrinam profitetur: „Summum bonum in ipso iudicio est et habitu optimae mentis" cf. de Benef. VI, 11. Cum ea cohaerent illae laudes sapientis Stoicorum quem dicunt esse solum regem solum sacerdotem et quicquid ei attribuitur, cum his in rebus non de actione cogitare possint sed de habitu solo. Sic Stoicorum non potest interesse quot aut quales sint actiones externae, sed qualis sit voluntas. Aristoteles porro propterea quod in usu virtutis beatitudinem constare dicit eiusdemque undique perfectae i. e. omnium singularum virtutum, fieri non posse confirmat quin beato etiam externa bona adsint, quibus effici ut homines secundum omnes virtutes agere possint, velut nemo liberaliter se gerere possit quin possideat divitias. Ne illum *θεωρητικόν* quidem *βίον* Aristoteles dicit homini sine copia bonorum externorum adesse Eth. Nic. 1178, b, 33: *Δεήσει δὲ καὶ τῆς ἐκτὸς εὐημερίας ἀνθρώπῳ ὄντι· οὐ γὰρ αὐτάρκης ἡ φύσις πρὸς τὸ θεωρεῖν· ἀλλὰ δεῖ καὶ τὸ σῶμα ὑγιαίνειν καὶ τροφὴν καὶ τὴν λοιπὴν θεραπείαν ὑπάρχειν· οὐ μὴν οἰητέον γε πολλῶν καὶ μεγάλων δεήσεσθαι τὸν εὐδαιμονήσοντα εἰ μὴ ἐνδέχεται ἄνευ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν μακάριον εἶναι· οὐ γὰρ ἐν τῇ ὑπερβολῇ τὸ αὔταρκες οὐδ' ἡ πρᾶξις*. Quo ex loco quanti Aristoteles bona externa aestimaverit cognoscere iam potes, quod ut etiam clarius intellegas cf. Polit. 1323, b, 21: *Ὅτι μὲν οὖν ἑκάστῳ τῆς εὐδαιμονίας ἐπιβάλλει τοσοῦτον ὅσονπερ ἀρετῆς καὶ φρονήσεως καὶ τοῦ πράττειν κατὰ ταύτας ἔστω συνωμολογημένον ἡμῖν μάρτυρι τῷ θεῷ χρωμένοις ὃς εὐδαίμων μέν ἐστι καὶ μακάριος δι' οὐδὲν δὲ τῶν ἐξωτερικῶν ἀγαθῶν* cf. Eth. Nic. 1179, a, 1. His ex verbis Aristotelem bona externa ad beatitudinem esse necessaria non docturum fuisse apparet, si sine illis fieri posse censuisset ut virtus perfecta exerceretur,

neque Aristotelem his bonis ullum pretium propter se ipsa tribuisse, sed ea propter usum virtutum solum quasi earum instrumenta in beatitudinem accepisse. Cf. Teichmueller: die Einheit der Aristotelischen Eudaemonie, Petersburg 1859.

Fere eodem modo, sed ut nobis videntur, non aeque ab summo principio profecti veteres Academici externa bona ad beatitudinem complendam esse necessaria docent cf. Plut. adv. Stoic. c. 13 eaque in definitionem beatitudinis accipiunt cf. Clem. Alex. Strom. II, p. 180, 17 ss., et Polemo dicit summum bonum esse honeste vivere fruentem rebus iis quas primas homini natura conciliet Cic. Acad. II, 42, 131. Tamen apud Academicos Stoicae doctrinae ex qua virtus sola ad virtutem sufficit simile quiddam invenimus, nam Xenocrates et Speusippus putant Sen. Ep. 85, 18 s. beatum vel sola virtute fieri posse sed non perfecte beatum et Polemo censet vel sine bonis corporis et externis virtutem ad beatitudinem sufficere Clem. Strom. II, p. 180, 26.. Illud autem semper affirmaverunt beatitudinem quae virtute sola efficeretur bonis externis augeri, beatam vitam quidem virtute sola comparari posse at non beatissimam, quam doctrinam Stoici valde impugnaverunt *τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν αὐτάρκη εἶναι* Diog. VII, 127 docentes, cf. Plut. adv. Stoic. c. 5 ubi Chrysippus inducitur dicens: *ἐν τῷ κατ' ἀρετὴν βιοῦν μόνον ἐστὶ τὸ εὐδαιμόνως τῶν ἄλλων οὐδὲν ὄντων πρὸς ἡμᾶς οὐδ' εἰς τοῦτο συνεργούντων*, Cic. Fin. IIII, 21, 60; IIII, 16, 43; Acad. I, 10, 35 et multos alios locos apud Ciceronem Senecam Epictetum alios. Cum enim habitus virtutum Stoicis ad beatam vitam sufficiat neque omnes virtutes exerceri oporteat, ne externa quidem bona necessaria sunt quibus secundum quasdam virtutes agatur, atque beatitudo una virtute concluditur. Hanc doctrinam qua est severitate nemo est qui neget Stoicos a Cynicis recepisse qui docuerunt Diog. VI, 11: *αὐτάρκη τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν μηδενὸς προσδεομένην ὅτι μὴ Σωκρατικῆς ἰσχύος*, et sapientem suum qui solus beatus esset omnibus rebus externis carere posse confirmaverunt, nisi credideris Stilponem talia quoque docuisse qui totam doctrinam Cynicam de sapienti in Megaricam videtur transtulisse disciplinam. Quomodo autem illa doctrina de virtute ad beatitudinem sola sufficiente cum reliqua doctrina morali apud Cynicos cohaeserit, et num Stoici solam illam formulam a ceteris praeceptis avulsam in suam disciplinam receperint, cum minima de illis nobis sint relicta, non possumus disceptare. Panaetium et Posidonium etiam sanitatem robur divitias ad beatitudinem necessaria habuisse non est cur hic planius explicemus, cum hi non sint veri Stoici.

Praeterea quod externa bona ad beatam vitam sint necessaria, Aristoteles, si eius definitionem beatitudinis denuo inspexerimus, ab usu virtutis undique perfectae alterum quoque pendere facit: *μὴ τὸν τυχόντα χρόνον ἀλλὰ τέλειον βίον*; necesse igitur est beatum non solum per minimum temporis virtute uti, sed per vitam perfectam, id quod nisi fit, virtus non est *τελεία*, non per satis longum tempus extensa neque usus eius ad beatitudinem sufficit. A quo quantum recedunt Stoici! Quibus non videatur optabilior nec magis expetenda beata vita, si sit longa quam si brevis Cic. Fin. III, 14, 46, cf. Plut. adv. Stoic. c. 8: *λέγουσιν οἱ ἄνδρες — ὅτι ἀγαθὸν ὁ χρόνος οὐκ αὔξει προσγιγνόμενος*. Perfecta igitur vita vel diutur-

nitas temporis ad beatitudinem Stoicis non necessaria est ex eadem causa qua bonis externis beati non indigeat, quod beatitudo non in usu virtutis posita est sed in solo habitu, quod quae proficiscuntur a virtute etiam sine effectu recta sunt iudicanda Cic. Fin. III, 9, 31. Num hanc quoque doctrinam a Cynicis acceperint diiudicare non possumus, cum tale quid ab Cynicis nobis relictum non invenerimus. Quod bonum diuturnitate temporis non crescit id ne morte quidem minuitur, itaque sapienti vel beato Stoicorum licet sibi ipsi mortem consciscere neque quicquam de eius beatitudine detrahitur. Itaque ex accuratiori summi finis descriptione illa decantata ἐξαγωγή Stoicorum quae vel beatissimo permittitur manavit cf. Schleierm. Grundl. p. 267, quamquam haec aliis quoque, non sapienti soli, apud Stoicos licebat. In hanc doctrinam de emissione vitae Stoici nescio an ipsi inciderint, cum ut ab Hegesia Πεισιθανάτῳ Diog. II, 86, Cic. Tusc. Disp. I, 34, 83 illam acciperent fieri non posset.

Aliam autem doctrinam qua voluptas a beatitudine excluditur vel χαρά et εὐφροσύνη certe non sunt necessariae ad vitam beatam Stob. Ecl. Eth. p. 136 sine dubio a Cynicis sumpserunt, illud Antistheneum μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην paulo mitius reddentes. Cum ad doctrinam de voluptate et quomodo in anima humana oriatur et quae sit eius ratio ad vitam beatam postea recursuri simus, ubi de affectibus omnino disseremus, iam hoc remittamus.

In doctrina de summo hominis bono vidimus Stoicos multa cum a Cynicis aliisque tum ab Aristotele accepisse, a Cynicis Academicisque formulas, ab Aristotele modum quo has formulas interpretabantur, cum eodem modo atque Aristoteles in summo fine constituendo ad animam eiusque naturam regrediantur et hac cognita finem quoque statuant hominis proprium illi simillimum. Neque tamen Stoicos vel de suo nonnulla addidisse negabimus, inprimis illud ὁμολογουμένως ζῆν, illam εὔροιαν βίου, concordiam animi qua homo ab omni affectu vacuus est et vitae fruitur fluxu tranquillissimo, quae notio cum illa doctrina de affectibus Stoicorum maxime propria cohaeret.

Ut in hac disputatione intelleximus τὸ εὐδαιμονεῖν Stoicis idem est atque τὸ κατ' ἀρετὴν ζῆν. Virtutes enim omnes ex Stoicorum doctrina finem summum efficiunt Stob. Ecl. Eth. p. 114 et finis omnium virtutum est τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν Stob. l. l. p. 108; cf. p. 102. Quae cum ita sint nunc ex re videtur de virtutibus disputare.

Iam supra Pythagoram memoravimus primum de virtutibus disseruisse easque definiisse Arist. Mag. Mor. 1182, a, 11: πρῶτον μὲν οὖν ἐνεχείρησε Πυθαγόρας περὶ ἀρετῆς εἰπεῖν, οὐκ ὀρθῶς δέ, τὰς γὰρ ἀρετὰς εἰς τοὺς ἀριθμοὺς ἀνάγων οὐκ οἰκείαν τῶν ἀρετῶν τὴν θεωρίαν ἐποιεῖτο· οὐ γάρ ἐστιν ἡ δικαιοσύνη ἀριθμὸς ἰσάκις ἴσος. Post Pythagoram Socrates primus de virtutibus accuratius disputavit atque ut omnes actiones scientia dirigendae essent, sic etiam virtutes scientia contineri, nescio an per sophistas adductus, docuit, atque hoc proprium in doctrina de virtutibus Socrati tribuendum est. Quin etiam virtutes esse scientias dixit Arist. Eth. Nic. 1144, 6, 28: Σωκράτης μὲν οὖν λόγους τὰς ἀρετὰς ᾤετο εἶναι (ἐπιστήμας γὰρ εἶναι πάσας), cf. Eth. Eudem. 1216, 6, 6; Xenoph. Mem. III, 9, 5, de qua doctrina Aristoteles iam rectissime iudicat Mag. Mor. 1182,

a, 16: *τὰς γὰρ ἀρετὰς ἐπιστήμας ἐποίει, τοῦτο δ' ἐστὶν εἶναι ἀδύνατον· — συμβαίνει οὖν αὐτῷ ἐπιστήμας ποιοῦντι τὰς ἀρετὰς ἀναιρεῖν τὸ ἄλογον μέρος τῆς ψυχῆς, τοῦτο δὲ ποιῶν ἀναιρεῖ καὶ πάθος καὶ ἦθος*, et Eth. Eudem. 1216, b, 9: *διόπερ ἐζήτει τί ἐστιν ἀρετὴ ἀλλ' οὐ πῶς γίνεται καὶ ἐκ τίνων*, at nostra non interesse pergit Aristoteles scire quid sit virtus sed multo magis quibus rebus constet, nam nos nolle scire quid sit fortitudo sed fortes esse velle ibid. 21. Socrati hac in re Cynici (cf. Zeller II, 1, p. 221) et Megarici Cic. Acad. II, 42, 129 assenserunt et ipse Plato prioribus suis dialogis. Postea hic virtutem ad partes animae humanae reduxit eamque contineri dixit in eo quod hae partes recta ratione inter se uterentur. Cum enim tres partes animae statueret, *τὸ ἐπιθυμητικόν* et *τὸ θυμούμενον* docuit *τῷ λογιστικῷ* semper oboedire debere, qua re effici sanitatem et pulchritudinem animae eamque esse virtutem. Has duas partes animae irrationales Aristoteles unam solam, qui usus ei in ethicis fuit, esse docuit, *τὸ ἄλογον* oppositum *τῷ λόγον ἔχοντι* atque virtutem ethicam in eo posuit ut *τὸ ἄλογον μέρος* oboediret *τῷ λόγον ἔχοντι*. Materia ut ita dicam agendi secundum virtutem Aristoteli affectus et actiones sunt (*ἀρεταί εἰσι περὶ πράξεις καὶ πάθη* Arist. Eth. Nic. 1104, b, 14), motus in irrationali animae parte orientes, quibus ratio quasi formam imprimit, cf. Plut. de Virt. Mor. c. 1, et rationis est efficere ne affectus medium transgrediantur et ut eodem modo actiones medium servent. Tali modo virtus efficitur quae neque natura neque contra naturam hominibus infigitur, sed iis inseritur quippe qui ad eam suscipiendam a natura apti sint, eam autem exercitatione et consuetudine accipiant Eth. Nic. 103, a, 23, quapropter Aristoteles Platonem sequens dicit nos iam a pueris certo quodam modo educandos esse ut videlicet quibus rebus deceat iis tum laetemur tum doleamus ibid. 1104, b, 11.

Longe aliam viam Stoici in virtute ex anima hominum deducenda ingressi sunt. Ex eorum enim doctrina primus motus omnium animalium itaque ipsorum hominum est impetus sui conservandi et diligendi, quo quae se suumque statum conservent appetunt, alienantur autem ab iis rebus quae interitum videantur afferre. Sic animal Stoici docent, simulatque natum sit, sibi ipsi conciliari et primum proprium cuique animanti esse ipsius statum eiusque conscientiam (*σύστασιν* et eius *συνείδησιν*) et studium sui in eo statu in concordia cum se ipso et cum rebus externis sustentandi eo quod quae utilia sint suscipiantur, reiciantur quae noxia Diog. VII, 85; Cic. Fin. III, 5, 16 s.; A. Gell. XII, 5; Sen. Ep. 121, 17; Plut. de Stoic. Rep. c. 12. Stoici igitur eodem modo quo multis saeculis post Spinoza omnes actiones et affectus hominum simulatque nati sint ex conatu „in suo esse perseverandi“ proficisci docent, atque hic conatus, cum a natura sit datus, non est reiciendus, immo *κατὰ φύσιν* est itaque ei obsequium habendum, *ἐπεὶ ἡ φύσις δίδωσιν ἀφορμὰς ἀδιαστρόφους* Diog. VII, 89. Hanc si doctrinam constanter persequimur ille finis efficitur quem Panaetius proposuisse narratur Clem. Al. Strom. II, 179, 14: *τὸ ζῆν κατὰ τὰς δεδομένας ἡμῖν ἐκ φύσεως ἀφορμάς*. Nam eodem modo homines et ipsam intellegentiam et rationem natura capiunt qua se toti naturae subici debere cognoscunt. Hominis constitutio rationalis est et ideo homo, ubi ratio orta est, sibi non tanquam animali sed tanquam rationali natura conciliatur, „ea enim parte sibi carus est homo

qua homo est“ itaque sibi carus est qua rationalis est. „Unicuique aetati sua constitutio est, alia infanti alia puero alia seni, omnes ei constitutioni conciliantur in qua sunt. Infans sine dentibus est: huic constitutioni conciliatur — neque enim, si aliquod illi maius in quod transeat restat, non hoc quoque in quo nascitur secundum naturam est“ Sen. Ep. 121, 14 ss. Ratio igitur et quae ex ratione proficiscuntur in principiis quae nominantur naturae insunt, neque potest in constitutione hominis ulla existere discordia, cum non sint duae facultates animae quae rationem habeant vel eius participes esse possint, sed una (cf. Plut. de Virt. Mor. c. 3: *ὑποτίθενται καὶ νομίζουσιν οὐκ εἶναι τὸ παθητικὸν καὶ ἄλογον διαφορᾷ τινι καὶ φύσει ψυχῆς τοῦ λογικοῦ διακεκριμένον, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ τῆς ψυχῆς μέρος ὃ δὲ καλοῦσι διάνοιαν καὶ ἡγεμονικόν)*, quae primo est illa *ὁρμή* sui diligendi et conservandi, paulatim autem ex ea ratio efficitur. Totius animae Stoici octo partes statuere solebant, praeter illam principalem partem, rationem, quinque sensus et vocis instrumentum et generandi vim Diog. VII, 110. Qua in partitione quantum ab omnibus superioribus differant non est cur demonstremus. Si igitur rationem a natura nobis datam semper sequimur, fieri non potest ut ad mala vel perversa adducamur, pervertitur autem rationale animal modo probabilitate externarum rerum modo eorum quorum consuetudine utatur consiliis: *διαστρέφεσθαι δὲ τὸ λογικὸν ζῷον ποτὲ μὲν διὰ τὰς τῶν ἔξωθεν πραγματειῶν πιθανότητας, ποτὲ δὲ διὰ τὴν κατήχησιν τῶν συνόντων* Diog. VII, 89; cf. Gal. de dogm. Plat. et Hipp. V, p. 406. Stoici sic periculum faciunt explicandi quomodo malum singulis hominibus inseratur, neque tamen haec explicatio sufficiet.

Cum ratio in homine existit, haudquaquam novum quoddam principium oritur quod antea orto appetitui sui conservandi oppositum eum regat, neque illa *ὁρμή* quasi materia est cui ratio formam imprimat, sicut ex Aristotelis doctrina *πάθη* et *πράξεις* ratione in certum modum sunt redigenda, sed illa *ὁρμή* omnibus numeris perfecta ratio ipsa est quae id agit ut homo summum finem consequatur, i. e. in sua constitutione rationali conservetur, sicut ille appetitus initio id egerat ut homo in constitutione animali sustentaretur. Huic explicationi doctrinae Stoicorum Schleiermacher fere assentitur Grundl. p. 71: Denn auch nachdem die höhere Natur zum Bewusstsein gekommen, ist dadurch nicht eine andere unmittelbar selbst handelnde Kraft gegeben, sondern nur eine neue Art über die Forderungen des natürlichen Selbsterhaltungstriebes zu entscheiden, naemlich so dass die Erhaltung der Vernunft überall mit eingeschlossen und vorangestellt wird, quamquam aliis locis rationem dominari in *ὁρμήν* dicere videtur. Cf. Feuerlein, die philos. Sittenlehre p. 149, 167. Neque si haec explicatio nostra probatur, Stoici a veteribus scriptoribus inprimis a Cicerone recte sunt vituperati, quod appetitum agendi aliunde sumerent atque legem agendi, cum *ὁρμή* et ratio diversa essent et semper impetum agendi *ὁρμῇ* oriri necesse esset, priusquam ratio actionem rectam posset efficere. E contrario impetus agendi et ratio quae actiones regat una eademque res est.

Ac si in hoc statu rationali homo se servat, si ille appetitus id agit et efficit ut homo secundum rationem in concordia animi secum et cum externis rebus vivat, virtus oritur quam

Stoici definiunt *διάθεσιν ὁμολογουμένην* affectionem sibi consentientem Diog. VII, 89, vel *διάθεσιν ψυχῆς σύμφωνον αὐτῇ περὶ ὅλον τὸν βίον* Stob. Ecl. Eth. 104, quin etiam *λόγον ὁμολογούμενον καὶ βέβαιον καὶ ἀμετάπτωτον* Plut. de Virt. Mor. c. 3. Ergo Stoici iam in definitionem acceperunt virtutem in eo constare ut homo sibi aliisque semper concors esset, ad quam concordiam comparandam iam impelleretur natura Diog. VII, 89. Neque virtus ex dissensione diversarum animae partium oritur, cum diversae partes animae rationis participes non existant ex Stoicorum doctrina, sed totius et solius rationis affectio est. In hanc doctrinam idem cadit quod Aristoteles Socrati obicit illum *πάθος* et *ἦθος* sustulisse, atque eam ab Aristotelea et Platonica esse diversissimam non est quin intellegat. Quamquam Stoici in hac re cum Aristotele et cum Platone consentiunt quod virtutem ex indole animae deducere conantur, tamen utrique diversissimo modo hoc efficiunt, cum Stoici natura dicant virtutem oriri cf. Simplic. in Arist. Cat. 71, a, 38 (quin etiam ad unamquamque virtutum principalium natura expellimur Stob. p. 108: *ἔχειν γὰρ ἀφορμὰς παρὰ τῆς φύσεως καὶ πρὸς τὴν τοῦ καθήκοντος εὕρεσιν καὶ πρὸς τὴν τῶν ὁρμῶν εὐστάθειαν καὶ πρὸς τὰς ὑπομονὰς καὶ πρὸς τὰς ἀπονεμήσεις κατὰ τὸ σύμφωνον)*, eam revocantes ad illum primum impetum hominis sui conservandi quo homines a pueris duci primi Stoici rectissime docuerunt, et eam existere docentes, cum ille impetus recto modo excultus sustentaretur. Contra Plato et Aristoteles id quod supra vidimus virtutem ponunt in eo ut ratio in irrationalem partem animae dominetur, neque eum a natura nobis inseri docent. Ne in definitionibus quidem quas iam attulimus virtutum Stoici cum superioribus cohaerere videntur, cum Aristoteles virtutem *ἕξιν* esse docuerit quod verbum cur in *διάθεσιν* Stoici mutaverint Simplicius in Arist. Cat. 70, b, 38 exponit: *οὑτωσὶ δὲ καὶ τὰς ἀρετὰς διαθέσεις εἶναι οὐ κατὰ τὸ μόνιμον ἰδίωμα ἀλλὰ κατὰ τὸ ἀνεπίτατον καὶ ἀνεπίδεκτον τοῦ μᾶλλον — καὶ γὰρ τὰς μὲν ἕξεις ἐπιτείνεσθαί φασι δύνασθαι καὶ τὴν εὐθύτητα τῆς ῥάβδου κἂν εὐμετάβολος ᾖ δυναμένη κάμπτεσθαι διάθεσιν εἶναί φασιν· μὴ γὰρ ἀνεθῆναι ἢ ἐπιταθῆναι τὴν εὐθύτητα μήτε ἔχειν τὸ μᾶλλον ἢ ἧττον διόπερ εἶναι διάθεσιν*, cf. ibid. p. 76, a, 15; Diog. VII, 101. Quam differentiam Aristoteles vocabulorum *ἕξεως καὶ διαθέσεως* statuerat Stoici omnino converterunt, cf. Arist. Cat. 8, b, 27: *διαφέρει δὲ ἕξις διαθέσεως τῷ πολὺ χρονιώτερον εἶναι καὶ μονιμώτερον· τοιαῦται δὲ αἱ ἐπιστῆμαι καὶ αἱ ἀρεταί* ibid. 9, a, 8. Rationalis pars animae ex Stoicorum doctrina aut recte cogitat aut falso itaque quantum possunt virtutem ullam posse progredi vel crescere negant prorsus ab Aristotele differentes, qui virtutem paulatim exercitatione comparari docet. Atque hoc Stoicum cum illa doctrina de sapienti qua ne inter sapientem quidem et insipientem medium statuunt cohaeret ad quam infra recurremus.

Multo magis altera definitio virtutis Stoica ab prioribus philosophis pendet, esse eam *ἐπιστήμην* vel *φρόνησιν* ipsam rationem Cic. Acad. I, 10, 38; Tusc. Disp. IIII, 15, 34 (cf. definitiones singularum virtutum apud Stobaeum Plutarchum Diogenem quas infra afferemus; Sen. Ep. 72, 32 s.), cum idem iam Socrates compluresque eius discipuli docuerint. Tamen haec similitudo magis verborum quam rei est. Quamquam enim a Socrate Cynicis aliisque virtus scientia definitur, qua re contineatur haec scientia aut cuius rei sit non apparet, itaque Socrati

ad utilitatem aut ad opinionem vulgarem saepius erat recurrendum, neque Cynici aliique (cf. Zeller II, 1, 222) quicquam proficiunt scientiam boni esse dicentes, cum iterum quid bonum sit non eluceat. Sic illa Socratis eiusque discipulorum scientia nil erat nisi notio formalis ut ita dicam neque realis. Stoicis autem et ipsis virtutem scientiam definientibus haec scientia certarum rerum iam est: ea enim cognoscimus certam esse ordinem vel concordiam totius mundi et nos ipsos huic ordini subici debere, atque hac in re Stoicorum ethica a physicis proficiscuntur. Illi autem physica vel omnino neglexerant vel certe cum ethicis non arctissime coniunxerant.

Quamquam virtus Stoicorum natura datur, tamen iidem miro modo docent *τὴν ἀρετὴν διδακτὴν εἶναι* Diog. VII, 91; Sen. Ep. 123, 16, hoc sine dubio a Socrate et Cynicis sibi vindicantes (de Socrate cf. multos Xenophontis Memorabilium locos et Platonis dialogos Menonem et Protagoram, de Cynicis Diog. VI, 10; 105), cum Aristoteles et ipse Plato saepius virtutem non in scientia sola ponentes ne doctrina quidem eam sed multo magis exercitatione comparari tradiderint Arist. Eth. Nic. 1103, a, 34: *τὰ μὲν δίκαια πράττοντες δίκαιοι γινόμεθα, τὰ δὲ σώφρονα σώφρονες τὰ δ' ἀνδρεῖα ἀνδρεῖοι.* Quomodo Stoici placitum *ὅτι ἡ ἀρετὴ διδακτή* cum reliqua sua doctrina sibi non repugnantes coniunxerint Diogenes indicat eodem loco addens: *ὅτι δὲ διδακτή ἐστι δῆλον ἐκ τοῦ γενέσθαι ἀγαθοὺς ἐκ φαύλων.* Itaque doctrina ad virtutem reducendi sunt qui iam corrupti viam rationis et virtutis deseruerunt. In his natura non denuo efficere potest ut ratio recta oriatur, itaque extrinsecus hoc hominis proprium ei rursus infigi potest. Lipsius hoc iam perbene intellexit explicans non excludi aut deum aut naturam a Stoicis sed doctrinam ad perfectionem itemque ad facilitatem coniungi; naturam semina bonae mentis nobis ingenuisse fomites et scintillas quae in aliis magis minusve elucerent ut esset animi temperies sed tamen opinionum pravitate in omnibus hoc natura rectum iam corruptum esse ideoque doctrina adiuvandum et instaurandum Manud. II, diss. 10. Omnino illa quaestio num virtus disci posset a Socraticis valde est tractata, et cum Stoici aeque ac Socrates et Cynici in scientia virtutem posuerint, mirari non possumus quod et ipsam virtutem doctrina comparari posse docuerunt. —

Cum hac quaestione altera est coniunctissima, num virtus amitti possit, id quod Cleanthes negavit Chrysippus affirmavit Diog. VII, 127: *καὶ μὴν καὶ τὴν ἀρετὴν Χρύσιππος μὲν ἀποβλητήν, Κλεάνθης δὲ ἀναπόβλητον· ὁ μὲν ἀποβλητὴν διὰ μέθην καὶ μελαγχολίαν, ὁ δ' ἀναπόβλητον διὰ βεβαίους καταλήψεις.* Cleanthem Seneca sequitur virtutes receptas non posse exire neque dedisci posse Ep. 50, 7, s. At hae amborum principum Stoicorum doctrinae non tam diversae sunt ut congruere nequeant, cum Cleanthes sentire videatur ex ultimis verbis quae attuli virtutem non dedisci posse, id quod et ipsum Chrysippum docuisse verisimile est. Hic nulla re nisi physica quadam causa virtutem amitti posse dicit eodem modo quo Aristoteles scientiam amitti posse docet Cat. 8, b, 29: *ἥ τε γὰρ ἐπιστήμη δοκεῖ τῶν παραμονίμων εἶναι καὶ δυσκινήτων, ἐὰν καὶ μετρίως τις ἐπιστήμην λάβῃ, ἐάνπερ μὴ μεγάλη μεταβολὴ γένηται ὑπὸ νόσου ἢ ἄλλου τινὸς τοιούτου*, cf. Menag. in Diog. l. l.

Si Stoici sibi constantes esse voluissent, etiam virtutem unam esse, sapientiam vel scientiam, quae in res externas diverso modo se posset habere docere debuerunt, quae Aristonis sententia erat Plut. de Virt. Mor. c. 2: *Ἀρίστων δὲ ὁ Χῖος τῇ μὲν οὐσίᾳ μίαν καὶ αὐτὸς ἀρετὴν ἐποίει καὶ ὑγείαν ὠνόμαζε· τῷ δὲ πρός τί πως διαφόρους καὶ πλείονας*, cf. Diog. VII, 161. (Aristo quidem scientiam flocci aestimans ne virtutem quidem scientiam nominavit sed sanitatem.) Atquę ipsum Zenonem hanc doctrinam quodammodo esse amplexum Plutarchus refert neque tamen sibi semper hac in re constitisse Plut. l. l.: *ἔοικε δὲ καὶ Ζήνων εἰς τοῦτό πως ὑποφέρεσθαι Κιττιεὺς ὁριζόμενος τὴν φρόνησιν ἐν μὲν ἀπονεμετέοις δικαιοσύνην, ἐν δὲ αἱρετέοις σωφροσύνην κτλ*, cf. Plut. de Stoic. Rep. c. 7, ubi etiam Chrysippus virtutes eodem modo definiisse narratur et nihilominus Aristonem vituperasse *ὅτι μιᾶς ἀρετῆς σχέσεις ἔλεγε τὰς ἄλλας εἶναι*. Cleanthes eodem modo virtutem unam esse docuit Plut. l. l., eam autem non scientiam sed *ἰσχὺν* et *κράτος* nominavit. Verba eius sunt haec apud Plutarchum: *ἡ δ' ἰσχὺς αὕτη καὶ τὸ κράτος ὅταν μὲν ἐπὶ τοῖς ἐπιφανέσιν ἐμμενετέοις ἐγγένηται ἐγκράτειά ἐστιν, ὅταν δ' ἐν τοῖς ὑπομενετέοις ἀνδρεία κτλ.* Etiamsi non omnes Stoici hanc doctrinam disertis verbis concesserunt, tamen omnes sententiam eius acceperunt dicentes *τὰς ἀρετὰς ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις οὐ μόνον τῷ τὴν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν ἀλλὰ καὶ τῷ κατὰ μίαν ὁτιοῦν ἐνεργοῦντα κατὰ πάσας ἐνεργεῖν — οὔτε πρᾶξιν τελείαν ἥτις οὐ κατὰ πάσας πράττεται τὰς ἀρετάς* Plut. de Stoic. Rep. c. 27; Diog. VII, 125; Stob. Ecl. Eth. p. 112 ubi cur virtutes inter se conexae sint recta causa affertur, quod *κοινὰ θεωρήματα* habeant i. e. communem rationem ex qua proficiscantur. Planissima explicat Stobaeus hanc doctrinam l. l.: unamquamque virtutem ex doctrina Stoicorum in proprio sibi genere tanquam capite versari et hoc capite virtutes inter se diversas esse, ut prudentiae caput sit primo loco res gerendas contemplari et agere, secundo loco autem quae ad offensiones in rebus gerendis vitandas pertineant contemplari et simili modo uniuscuiusque virtutis esse reliquas quoque cum rebus iis subiectis considerare. Fieri igitur non potest quin qui secundum unam virtutem agat simul omnes alias quoque exerceat et unaquaeque virtus efficit ut homo summum finem assequatur et naturae convenienter vivat Stob. Ecl. Eth. p. 108.

At hanc doctrinam Stoici haudquaquam primi invenerunt quamvis, ex eorum definitione et explicatione virtutis ea simpliciter sequatur, immo iam ante Stoicos Socrates nescio an Cynici Megarici Plato quin etiam Aristoteles idem docuerunt. Ex Socratis reliquis placitis haec doctrina facile efficitur qui virtutem omnem ad *φρόνησιν* vel *ἐπιστήμην* reduxerit. Inter Megaricos Menedemus praecipue huic dogmati favisse dicitur Plut. de Virt. Mor. c. 3, a quo quidem Zeno hoc placitum sine dubio non accepit, cum Menedemus Zenonis aequalis eodem modo atque ille Stilponis discipulus fuisset. Neque mirari possumus, quod Plato hanc doctrinam est amplexus, siquidem scientia boni virtutem contineri docuit, cf. Laches 194, C ss. Zeller II, 1, 376. Multo magis mirandum est, quod et ipse Aristoteles, etiamsi virtutem unam esse non claris verbis dicit, tamen virtutes separari non posse atque inter se invicem esse conexas affirmavit Eth. Nic. 1144, b, 32 ubi etiam causam huius suae doctrinae affert: *ἀλλὰ καὶ ὁ λόγος ταύτῃ λύοιτ' ἄν, ᾧ διαλεχθείη τις ἂν ὅτι χωρίζονται ἀλλήλων αἱ ἀρεταί· οὐ γὰρ αὐτὸς*

εὐφυέστατος πρὸς ἁπάσας ὥστε τὴν μὲν ἤδη τὴν δ' οὔπω εἰληφὼς ἔσται, τοῦτο μὲν γὰρ τὰς φυσικὰς ἀρετὰς ἐνδέχεται, καθ' ἃς δὲ ἁπλῶς λέγεται ἀγαθὸς οὐκ ἐνδέχεται· ἅμα γὰρ τῇ φρονήσει μιᾷ οὔσῃ πᾶσαι ὑπάρξουσιν, cf. Alex. Aphrod. Ap. et Lys. p. 273 ubi demonstratur ὅτι ἀντακολουθοῦσιν αἱ ἀρεταί. Itaque apparet Stoicos sive virtutem unam esse sive virtutes inter se conexas esse docerent his in rebus novam viam non institisse, immo quod plurimi illius temporis profiterentur in suam disciplinam recepisse.

Virtutes partiri quod sciamus Plato primus conatus est a summo principio proficiscens, a recta ratione partium animae inter se ipsas, ut omittamus quod de Pythagora narratur. Plato quatuor virtutes principales statuit σοφίαν vel φρόνησιν σωφροσύνην ἀνδρείαν δικαιοσύνην et dicit σοφίαν adesse, cum pars quam deceat imperare et ipsa imperet et in se scientiam habeat, quid unicuique parti animae et animae toti sit ex usu; σωφροσύνην, cum et imperans pars et subiectae partes τὸ θυμοειδές et τὸ ἐπιθυμητικόν inter se consentiant rationem imperare decere neque ab ea desciscendum esse; ἀνδρείαν, cum τὸ θυμοειδές in mediis voluptatibus et doloribus in sententia sua persistat, non aliter iudicandum esse de terribilibus rebus et de non terribilibus ac ratio ipsa iudicaverit; δικαιοσύνην, cum unaquaeque trium animae partium quod ipsam deceat agat, τὸ λογιστικόν imperet τὸ θυμοειδές ei succurrat et τὸ ἐπιθυμητικόν ei obtemperet, quae quidem virtus cum tres reliquae adsunt necessario adest et revera illam ὑγίειάν τε καὶ κάλλος καὶ εὐεξίαν totius animae efficit Rep. IIII, 444 E. cf. de virtutibus ipsis 442 B. ss. Eodem modo vitiositas et quatuor vitia principalia quae quatuor virtutibus respondent ex Platonis doctrina in anima oriuntur, cum animae partes inter se sunt discordes Rep. IIII, 444 B. De iisdem virtutibus iam a Socrate saepissime et praecipue esse disputatum ex Xenophontis Memorabilibus intellegimus, at ille neque de iis solis quasi principalibus tractavit neque a summo principio eas proficisci fecit.

Plane diversam ab Platone viam Aristoteles ingressus est qui quidem ad virtutes partiendas eodem modo ad naturam animae descendit, sed duo virtutum genera constituit, dianoeticas et ethicas, illas in ratione sola ponens, has existere dicens, cum τὸ ἄλογον ψυχῆς μέρος non impediat τὸ λόγον ἔχον quin suo munere fungatur, neque singulas virtutes ab summo et uno principio videtur deduxisse. Aristotelem inter Stoicos Panaetius in dividendis virtutibus secutus est Diog. VII, 92: Παναίτιος μὲν οὖν δύο φησὶν ἀρετὰς θεωρητικὴν καὶ πρακτικήν, atque eundem alii Stoicorum imitati esse videntur qui virtutem in tres partes diviserunt in λογικὴν καὶ φυσικὴν καὶ ἠθικήν Diog. l. l., cum et ipse Aristoteles de ἀρεταῖς φυσικαῖς, indole qua virtutes morales efficiuntur disseruisset, cf. Eth. Nic. 1144, b, 3.

Principes autem Stoicorum, cum neque Platonis neque Aristotelis partitionem animae acceperint, ne virtutes quidem secundum animae divisionem possunt partiri. Attamen principales illas quatuor virtutes quae per Platonem in ipsius vulgi opinionem transiisse videntur ex opinione vulgari in suam philosophiam receperunt Diog. l. l.: τῶν δ' ἀρετῶν τὰς μὲν πρώτας τὰς δὲ ταύταις ὑποτεταγμένας. Πρώτας μὲν τάσδε· φρόνησιν ἀνδρείαν δικαιοσύνην σωφροσύνην, cf. Stob. Ecl. Eth. p. 114, quae inter se diversae essent non diverso statu vel

modo intellegentiae sed solum externis rebus ad quas haec intellegentia referretur *τῷ πρός τε* Plut. de Virt. Mor. c. 2, cum in omnibus virtutibus eadem ratio et recta et immutabilis inesset, neque ex ullo alio summo principio divisionem suarum virtutum pendere faciunt. Sic Zeno definit *δικαιοσύνην φρόνησιν ἐν ἀπονεμητέοις, σωφροσύνην ἐν διαιρετέοις, ἐν δὲ ὑπομενετέοις ἀνδρείαν* Plut. l. l. sapientiae tres alias virtutes subiciens. Paulo aliter dicit Stobaeus p. 104 *τὴν μὲν φρόνησιν περὶ τὰ καθήκοντα γίγνεσθαι τὴν δὲ σωφροσύνην περὶ τὰς ὁρμὰς τοῦ ἀνθρώπου τὴν δὲ ἀνδρείαν περὶ ὑπομονὰς τὴν δὲ δικαιοσύνην περὶ τὰς ἀπονεμήσεις*. In eodem Plutarchi capite Chrysippus narratur plurimas virtutes statuisse: *Χρύσιππος κατὰ τὸ ποιὸν ἀρετὴν ἰδίᾳ ποιότητι συνίστασθαι νομίζων ἔλαθεν ἑαυτὸν σμῆνος ἀρετῶν οὐ σύνηθες οὐδὲ γνώριμον ἐγείρας*, quo loco illum quatuor virtutes generales non professum esse haudquaquam demonstari poterit, cum hae virtutes quas Chrysippus enumerat non solum animi sed etiam corporis sint laudes, sicut *παρὰ τὸν μέγαν μεγαλότητα παρὰ τὸν καλὸν καλότητα κτλ.* In definitionibus harum primarum virtutum Stoici Socrati fere assentiuntur vel Socraticis, velut a Socrate Platonico fortitudo definitur *σοφία τῶν δεινῶν καὶ μὴ δεινῶν* Plat. Prot. 360 D, quae est ex Stoicorum doctrina *ἐπιστήμη δεινῶν καὶ οὐ δεινῶν καὶ οὐδετέρων* Stob. Ecl. Eth. p. 104, cf. definitio iusti Socratica Xenoph. Mem. IIII, 6, 4 et Stoica iustitiae Stob. l. l. p. 102. Eodem modo ac Socrates Stoici inter *φρόνησιν* et *σωφροσύνην* accuratam differentiam non statuunt. Sapientiam enim et temperantiam Socrates non disiunxit *ἀλλὰ τὸν τὰ μὲν καλά τε καὶ ἀγαθὰ γιγνώσκοντα χρῆσθαι αὐτοῖς καὶ τὸν τὰ αἰσχρὰ εἰδότα σοφόν τε καὶ σώφρονα ἐκάλει* Mem. III, 9, 4 et Stoici *φρόνησιν* esse dicunt *ἐπιστήμην ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων* et *σωφροσύνην αἱρετῶν καὶ φευκτῶν καὶ οὐδετέρων* Diog. VII, 92, Stob. l. l., non accurate inter *αἱρετόν* et *ἀγαθόν* distinguentes, cum *αἱρετόν* ex ipsorum doctrina sit *ἀγαθὸν τὸ πᾶν* Stob. p. 140. In enumerandis virtutibus quae principalibus subiunctae sunt earumque definitionibus quas invenimus apud Stobaeum p. 160 s. cf. Diog. l. l. non longi erimus, quod ad superiores philosophos reduci nequeunt. Eas a Zenone vel Chrysippo primo esse enumeratas et definitas, cum Stoici in distinguendis et definiendis notionibus essent multi, non sine veritatis specie poterit affirmari. — Neque ex re erit longius disputare de altera distinctione virtutum qua dividuntur in *θεωρητικὰς τὰς ἐχούσας τὴν σύστασιν ἐκ θεωρημάτων ὡς φρόνησιν* (hae sunt virtutes in ratione positae de quibus iam disseruimus) *ἀθεωρήτους δὲ τὰς κατὰ παρέκτασιν θεωρουμένας ταῖς ἐκ τῶν θεωρημάτων συνεστηκυίαις καθάπερ ὑγίειαν καὶ ἰσχύν· τῇ γὰρ σωφροσύνῃ τεθεωρημένῃ ὑπαρχούσῃ συμβαίνει ἀκολουθεῖν καὶ παρεκτείνεσθαι καθάπερ τῇ ψαλίδος οἰκοδομίᾳ τὴν ἰσχὺν ἐπιγίνεσθαι* Diog. VII, 90. Hae virtutes *ἀθεώρητοι* corporis solius esse videntur, cum *ἰσχύς* animae quoque cum *εὐτονίᾳ* coniuncta a Chrysippo memoretur Gal. de Plac. Hipp. et Plat. V. p. 395 ed. Kühn; 404 s., eamque habere is dicitur qui in iudiciis suis perseveret et non interrupto tenore ad ea quae assequi velit progrediatur, cum oppositae iis virtutibus *ἀτονία* et *ἀσθένεια* in eo inesse dicantur qui iudicia mentis non servet. Haec bona eo quod virtus in recta ratione posita exercetur comparantur et efficiunt ut homo possit visis obsistere neve temere iis assentiatur, cf. Stob. p. 110. Nescio an hanc notionem *ἰσχύος* Stoici a

Cynicis sibi vindicaverint: Cynici enim ἰσχὺν Socraticam i. e. ut ita dicam robur morale summis laudibus extulerunt neque virtutem ulla re ad beatam vitam egere nisi illo robore Diog. VI, 11.

Doctrinam de virtutibus Stoicorum si iterum inspexerimus, primum fatendum erit illos eodem modo atque Platonem et Aristotelem virtutem ad animae humanae naturam revocasse. Sed cum multo aliter naturam animae humanae definissent, etiam virtutem ab illis diversissime descripserunt. Tum nobis concedendum erit illos Socratem Socratisque discipulos secutos esse virtutem in ratione ponentes quin etiam scientiam definientes et in aliis quae cum hac doctrina cohaerentia de virtutibus profitebantur, in definitione autem virtutis ab illis longe discessisse, cum sua definitione iam explicarent quarum rerum esset haec scientia, illorum scientia autem nil esset nisi notio formalis. Praeterea Stoici definitioni virtutis addiderunt eam esse habitum sibi semper constantem et concordem id quod cum ipsorum summo fine coniunctissimum erat neque ab ullo priorum philosophorum fuerat traditum, nisi huc referre volueris quod Aristoteles dicit eum qui secundum virtutem agat πράττειν βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως Eth. Nic. 1105, a, 32. Attamen ex hac virtutis nota apud Aristotelem tota virtutis vis deduci nequit. Denique Stoicos in partitione virtutum Platone niti vidimus neque tamen in hac re eius fuisse temerarios sectatores qui de suo nil adderent.

Non minus arcte quam virtutes doctrina de affectibus cum summo fine Stoicorum cohaeret, cum ut homo sibi concors et constans vivat ut illa ὁμολογίᾳ fruatur eum ab omnibus affectibus vacuum esse necesse sit, quippe qui homines sibi obnoxios constantem eandemque rectam rationem servare prohibeant. Doctrinae de affectibus ante Stoicos nemo philosophorum tantum operae dederat; Plato enim πάθη quamquam in scriptis suis saepius memorat neque definit neque partitur et Aristoteles quidem librum separatum περὶ παθῶν ὀργῆς scripsisse narratur Diog. V, 23, at hic liber neque hodie exstat neque quod ex inscriptione concludi possit Aristoteles de affectibus in universum disputavit, valde tamen illum in hac doctrina esse versatum et ex rhetoricorum libro altero in quo pro usu rhetorico planissime de affectibus exponit et ex aliis eius libris apparet ubi affectus leviter attingit. Stoici autem fere omnes de affectibus scripserunt Zeno Diog. VII, 110, Chrysippus qui satis copiosos de affectibus libros quatuor composuit quorum tribus prioribus ortum affectuum describit eosque partitur, quarto quomodo affectus sanentur docet quocirca huic libro nomen fuit τὸ θεραπευτικόν vel ἠθικόν Gal. V. p. 479; 364 s.; Aristo Gal. V. p. 468, Sphaerus Diog. VII, 178, Herillus Diog. VII, 166. Inter medios Stoicos inprimis Posidonius plurimum operae in hac doctrina collocavit pluresque libros de affectibus composuit eosque magnam partem criminibus in Chrysippum quibus repugnantiarum convinceretur implevit, cf. Bake Posid. Rhod. Rel.; Gal. V. p. 366; 378. Idem Posidonius ex natura affectuum recte perspecta doctrinam de bonis et malis, de virtutibus et de finibus pendere putavit Gal. V. p. 469; 473, atque cum priores tum posteriores Stoicos huic doctrinae praecipuum locum in morali philosophiae parte tribuisse ex Diogene VII, 84 et Epicteto Diss. III, 2, 3 intellegere possumus qua in re non ita ab Aristotele disces-

serunt quippe qui omnia in anima humana ad affectus referri doceret. Cum enim ex eius doctrina tria in anima sint: *πάθη δυνάμεις ἕξεις*, *δυνάμεις* dicuntur *καθ' ἃς παθητικοὶ τούτων* (singulorum affectuum) *λεγόμεθα*, *ἕξεις δὲ καθ' ἃς πρὸς τὰ πάθη ἔχομεν εὖ ἢ κακῶς οἷον πρὸς τὸ ὀργισθῆναι* Eth. Nic. 1105, b, 20.

Priores Stoici in partiendis definiendisque affectibus praecipue fuerunt occupati demonstrare conantes quomodo fieri posset ut homo ab his animi motibus esset vacuus. Atque eorum universalis affectus definitio est haec ut sit *πάθος ὁρμὴ πλεονάζουσα*, appetitus vehementior Diog. VII, 110; Stob. Ecl. Eth. p. 166; Gal. V. p. 368; Cic. Tusc. Disp. IIII, 6, 11, vel quae definitio plane idem exprimit, *ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις* l. l. *Ὁρμή* enim omnis animi motus est et *πλεονάζουσα* definitur ab Chrysippo quae *ὑπερβαίνει τὴν καθ' αὑτοὺς καὶ φυσικὴν καὶ ὁρμῶν συμμετρίαν* Gal. V. p. 369 et *συμμετρία* vocatur *ἡ κατὰ τὸν λόγον καὶ ἕως τοσούτου καὶ ἕως αὐτὸς ἀξιοῖ* itaque *πλεονάζουσα* prorsus idem est atque *ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν*. Affectus igitur in homine oritur simulac motus vehementior factus a naturae constantia discedit et impedit ne homo sibi constet neve obocdiat *αἱροῦντι λόγῳ* Stob. p. 166 sive *παραινοῦντι* Gal. V, p. 410, i. e. rationi quae in concordia hominis secum et cum omnibus mundi legibus posita totum mundum dirigit, quapropter affectus nominatur *ἄλογος*. Huic definitioni simillima est quam vetustiorum philosophorum Galenus affert V, p. 432 dicens: *τὸ πάθος τῆς ψυχῆς κίνησίν τινα παρὰ φύσιν ἄλογον ὑπάρχειν οὐχ οἱ παλαιοὶ μόνον ἀλλὰ καὶ Χρύσιππος ὁμολογεῖ*. *Οἱ παλαιοί* a Galeno Pythagoras Plato Aristoteles Hippocrates nominantur, qui num illud *παρὰ φύσιν* in definitionem affectus iam acceperint valde dubito, cum illi multo magis *κατὰ φύσιν* affectus esse docuerint. Tamen ex hoc Galeni loco apparet certe similem Stoicis definitionem prioribus philosophis iam ante Stoicos usitatam fuisse, id quod confirmatur definitione Aristotelea allata a Stobaeo Ecl. Eth. p. 36 quae quidem, quamquam in Aristotelis libris nobis servatis non invenitur, tamen sine dubio illius doctrinae respondet. Definiri enim *πάθος* ab Aristotele Stobaeus dicit *ἄλογον ψυχῆς κίνησιν πλεοναστικήν*. *Ἄλογος* hoc loco a Stobaeo ita exponitur ut sit *τὸ μὴ ἔχον τὸν ἀρχικὸν λόγον* sed *τὸν ὑποτακτικὸν καθ' ὃν ὑπακούειν πέφυκε τῷ λογικῷ* itaque hac voce nil declaratur nisi *πάθος* esse motum partis animae cuius sit rationi obtemperare, id quod in altera definitione quae eidem Aristoteli eodem loco tribuitur: *πάθος* esse *τοῦ ἀλόγου τῆς ψυχῆς κίνησιν* disertis verbis exprimitur. Quantum discedat a Stoica definitione haec vox in Peripatetica apparet, neque magis cum Stoicis nota qua Peripateticis *πάθος* est *πλεοναστικόν* congruit. Stobaeus exponit *πλεοναστικόν* esse *τὸ πεφυκὸς ἐπιδέχεσθαι πλεονασμόν* non *τὸ ἤδη πλεονάζον*, nunc enim *πάθος* excedere nunc rectum modum non adaequare, cum Stoicis is motus solus affectus sit qui rectam rationem iam sit transgressus. Itaque sive hae definitiones quas ex Stobaeo attulimus sunt Aristotelis sive eius discipulorum, cum Stoicis nil commune habent nisi quod affectus motus dicuntur.

Stoici porro id semper gravissime inculcant affectus iudicio et voluntate suscipi Cic. Tusc. Disp. IIII, 7, 31; Fin. VI, 10 neque affectus vel *κρίσεις* dubitant nominare Diog. VII, 110 et

δόγματα qua voce Epictetus inprimis utitur. Cum enim Stoici animam non dividerent sed totam animam rationem esse, affectus autem dicerent in anima oriri, fieri non potuit quin affectus in ratione oriri docerent Plut. de Virt. Mor. c. 7: *πάθη ῥοπαὶ καὶ εἴξεις καὶ συγκαταθέσεις καὶ ὁρμαὶ οὐ περὶ ἕν τι γινόμεναι τῆς ψυχῆς μέρος ἀλλὰ ὅλου τοῦ ἡγεμονικοῦ*, cf. Sen. de Ira I, 8 qui dicit non separatas diductasque suas sedes habere affectus et rationem, sed nil esse nisi mutationem in melius peiusve animi. Quin etiam eodem modo quo virtutem nominabant rationem rectam immotam et immutabilem *πάθος* esse *λόγον πονηρὸν καὶ ἀκόλαστον* Plut. de Virt. Mor. c. 3, cf. c. 7 ubi *οὐχ ἕτερον εἶναι τοῦ λόγου τὸ πάθος* dicitur. Affectus est igitur *κρίσις μοχθηρά* sed non unumquodque iudicium perversum est *πάθος*, sed accedere necesse est ut hoc iudicium impetum efficiat, itaque Stoici ad *κρίσιν* adiecerunt *κινητικὴν ὁρμῆς*. Tali modo cum alii affectus definiisse videntur tum Chrysippus quem Galenus nobis narrat affectus etiam iudicia esse affirmasse. Neque ab hac definitione Zeno longe discedit non ipsa iudicia sed *τὰ κρίσεσιν ἐπιγιγνόμενα* esse affectus docens illas *ἐπάρσεις* et *δήξεις* et *συστολάς* quae ex illis iudiciis subsequantur. Tres enim motus Stoici in affectibus inesse dixerunt Sen. de Ira II, 4: „Est primus motus non voluntarius quasi praeparatio affectus et quaedam comminatio, alter cum voluntate non contumaci, tanquam oporteat me vindicare, cum laesus sim aut oporteat hunc poenas dare cum scelus fecerit; tertius motus est iam impotens qui non si ulcisci vult sed utique rationem evicit.“ Quamquam Seneca non satis dilucide haec disputavit, tamen horum trium motuum primus videtur esse *φαντασία τύπωσις ἐν ψυχῇ* visum sive species quae non est nostri arbitrii sed vi sua se hominibus noscitandam infert e. g. species iniuriae id agens ut homini persuadeat propter ipsam esse irascendum. His autem visis quae animis invitis imprimuntur homines assentiuntur aut non assentiuntur i. e. *συγκατατίθενται* aut non *συγκατατίθενται*, quae assensio in nostra voluntate prorsus est sita et vocatur *δόξα*, si viso incomprehensibili assentimur, *κατάληψις* si visum comprehensibile approbatur, cf. Cic. Acad. II, 47, 145, atque haec *δόξα* haec *συγκατάθεσις ἀσθενὴς καὶ ψευδής* secundus motus est in affectu et ab Chrysippo affectus ipse nominatur. At haec *συγκατάθεσις* efficit tertium motum *ἔπαρσιν* vel *συστολήν*; e. g. si assentimur illi viso nobis iniuriam esse illatam atque propter eam irascendum, haec assensio efficit concitationem animi ad ultionem voluntate et iudicio pergentis Sen. de Ira II, 3, 5, quae si exorta est rationem evincit neque iam in nostra posita est potestate: nam *πᾶν πάθος* ex Stoica doctrina est *βιαστικόν* Stob. Ecl. Eth. p. 170, neque hoc in repugnantiis Stoicorum numerandum est. Perbene hanc doctrinam Salmasius in Epict. et Simpl. p. 119 s. similitudine ab equite equitandi ignaro ducta illustrat quam quidem ipse ex Stobaeo l. l. hausit. In equitis enim arbitrio situm est equum inscendere, at simulatque eum inscendit non iam quo contendit eum valet ducere sed invitus ab eo fertur et rapitur quo minime destinarat. Hic tertius motus qui non iam est in nostro arbitrio, quamvis libero iudicio sit susceptus, a Zenone affectus nominatur, et ita intelleximus Chrysippi doctrinam a Zenonis haud valde differre, cum *δόξαν* Chrysippi etiam impetum Zenonis efficere

necesse sit. Cleanthem tertium Stoicorum principem eandem professum esse doctrinam cognoscere possumus ex Cic. Tusc. Disp. III, 31, 76 ubi Cicero Cleanthem narrat in tollenda aegritudine id unum officium eius qui tollere conatur putasse, ostendere malum non esse illud de quo aegritudo esset suscepta, quamquam Posidonius Cleanthem in diversis animi partibus affectus et rationem posuisse cupit demonstrare ex nonnullis Cleanthis versibus alternis quibus *λογισμόν* cum *θυμῷ* colloquentem inducit Gal. V, p. 476. Sed his versibus Cleanthes magis persequitur poeticum splendorem quam philosophiae acumen neque ex iis doctrinam Cleanthis licet concludere. Posidonius quantum a principibus suae disciplinae in doctrina de ortu affectuum discesserit non est cur hic explicemus, cf. de eo Bake Posid. Rhod. Reliqu. et nostra dissertatio: Stoicorum de affectibus doctrina Berolini 1860 p. 49 ss.

Ab hac doctrina de affectibus Stoicorum Salmasius qui aliis locis acutissime et planissime de ethica Stoicorum disputat Aristotelem non longius abire censet in Epict. et Simpl. p. 142 ss. Definit enim Aristoteles Rhet. 1382, a, 21 *φόβον* esse *λύπην τινὰ ἢ ταραχὴν ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ ἢ φθαρτικοῦ ἢ λυπηροῦ* et ib. 1383, a, 16 ss. *τὸ θάρσος* esse *μετὰ φαντασίας τὴν ἐλπίδα τῶν σωτηρίων ὡς ἐγγὺς ὄντων τῶν δὲ φοβερῶν ἢ μὴ ὄντων ἢ πόρρω ὄντων* et 1378 a, 31 *ὀργήν* esse *ὄρεξιν μετὰ λύπης τιμωρίας διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν ἢ τῶν αὐτοῦ*. Atque his definitionibus congruit quae Aristotelis a Stobaeo affertur Ecl. Eth. p. 36 *πάθος* esse *κίνησιν κατὰ φαντασίαν ἡδέος ἢ λυπηροῦ*. In his definitionibus Salmasius dicit *φαντασίαν* eandem rem esse atque *δόξαν* vel *κρίσιν* Stoicorum id quod falsum nobis videtur. In *δόξῃ* enim Stoicorum assensio iam inest ita ut *δόξα* habeat semper *πίστιν*, *φαντασίαν* autem Aristotelis non sequitur *πίστις* de An. 428, a, 21, itaque ne assensio quidem in illa inest. Visa ex Aristotelis sententia etiam animalibus obiciuntur ita ut affectus vel in bestias cadant de An. 413, b, 23, cum Stoici affectus quippe qui iudicio suscipiantur ne in liberis quidem nedum in animalibus oriri doceant. Secundum Aristotelem viso boni aut mali affectus statim nascitur, cum Stoicorum ex sententia huic viso assensionem accedere oporteat, priusquam affectus efficiatur, quin etiam in hac opinione inesse necesse sit ut rectum videatur aut demitti aut efferri, aut appetere aut evitare, velut *λύπη* definitur *συστολὴ ψυχῆς — αἴτιον δ' αὐτῆς τὸ δοξάζειν πρόσφατον κακὸν παρεῖναι ἐφ' ᾧ καθήκει συστέλλεσθαι* Stob. Ecl. Eth. p. 178 (ex restitutione Salmasii), cf. Cic. Tusc. Disp. III, 31, 75; Gal. V, p. 401 s. — Neque Salmasii opinioni favet illa nota affectuum quae ab Aristotele affertur Rhet. 1378, a, 20: *ἔστι δὲ τὰ πάθη δι' ὅσα μεταβάλλοντες διαφέρουσιν πρὸς τὰς κρίσεις*, quibus ex verbis Salmasius concludit et Aristotelem affectus indicia habuisse sicut Chrysippum. At haec mutatio iudiciorum apud Aristotelem affectibus multo magis efficitur quam illos efficit nedum affectus ipsi iudicia nominentur; iudicia enim secundum conditionem affectibus ortam mutantur de rebus externis Arist. Rhet. 1377, b, 31: *οὐ γὰρ ταὐτὰ φαίνεται φιλοῦσι καὶ μισοῦσιν οὐδ' ὀργιζομένοις καὶ πρᾴως ἔχουσιν*. Immo contra Stoicorum sententiam Aristoteles disertis verbis dicit non solum affectus in irrationali animae parte ponens quae ratione regenda sit sed etiam nos inconsulto in affectibus versari dicens Eth. Nic. 1106, a, 2: *ἔτι ὀργιζόμεθα μὲν καὶ φοβούμεθα ἀπροαιρέτως*.

Non minus quam in definiendis Stoici in partiendis affectibus erant occupati. Quatuor enim affectus generales esse docuerunt ex duobus opinatis bonis et duobus opinatis malis ratione habita et futuri et praesentis temporis, ἐπιθυμίαν ex opinato bono futuro, φόβον ex opinato malo futuro, ἡδονήν ex opinato bono praesenti, λύπην ex opinato malo praesenti Cic. Tusc. Disp. IIII, 6, 11; Stob. Ecl. Eth. p. 166 ss, Diog. VII, 110 ss. Cupiditatem vero et metum antecedere putant subsequi voluptatem et dolorem, voluptatem si ea simus assecuti quae cupiamus vel evitaverimus quae timeamus, dolorem vero si vel sperata non simus consecuti vel in formidata inciderimus Stob. l. l. p. 168. Definitiones horum affectuum generalium habes apud Stob. p. 178; Diog. VII, 111 ss; Gal. de Plac. Hipp. et Plat. ll. IIII et V; Cic. Tusc. Disp. IIII, 7, 14 ss, in quarum duabus aegritudinis et voluptatis velim respexeris illud recens vel πρόσφατον quod vel ad iudicium adicitur aut ad bonum vel malum, ita ut aegritudo sit opinio recens mali praesentis in quo demitti contrahique rectum esse videatur. Explicatur hoc πρόσφατον sic ut quamdiu in illo opinato bono vel malo vis quaedam insit et vigeat et habeat quandam viriditatem, tamdiu illud recens appelletur, qua ex re apparet Stoicos de affectibus accuratissime et tractasse et exquisivisse.

His quatuor affectibus generalibus infinita fere turba specialium subiungitur in quibus enumerandis et definiendis Cicero Diogenes Stobaeus non plane inter se consentiunt cum alius plures alius pauciores memoret. Omnes hos huc afferre et longum neque e re est; satis erit memorasse Stoicos in partiendis his affectibus multum operae posuisse neque tamen omnes affectus qui homini possent accidere enumerasse.

Partitionem affectuum in quatuor genera nescio an Stoici ab Aristotele acceperint qui Eth. Nic. 1150, a, 9 hos quatuor motus coniunctos affert, quamquam iis nomen affectibus non tribuit. Habes quidem eosdem eodem modo inter se coniunctos apud Platonem Rep. 429 D et 430 B ita ut verisimile sit hos quatuor motus animae ut ita dicam irrationalis aeque ac virtutes generales in intellegentiam vulgi tum iam descendisse et Stoicos ex vulgari opinione eos sumpsisse. Divisio talis affectuum apud Aristotelem in libro secundo rhetoricorum non invenitur, cum contra ea λύπην et ἡδονήν non esse affectus dicat sed affectum sequi Rhet. 1378, a, 26; Eth. Nic. 1105, b, 23: λέγω δὲ πάθη — ὅλως οἷς ἕπεται ἡδονὴ καὶ λύπη. Tamen in definiendis singulis affectibus λύπῃ et ἡδονῇ saepe generis loco utitur ita ut disceptari non possit num λύπην et ἡδονήν ipsas in affectibus numeraverit. Definitiones singulorum affectuum Stoici etiam prioribus usitatas vel apud vulgum valentes in suam disciplinam receperunt, ut metum Chrysippus definit προσδοκίαν κακοῦ Gal. V, p. 366 quam definitionem iam antea usitatam cognoscimus ex Arist. Eth. Nic. 1115, a, 9. cf. Plat. Prot. 358 D.

Omnibus igitur his affectibus eum qui beatus esse velit vacare debere Stoici docent, quod his motibus vehementioribus, quamquam appetitu in statu suo conservandi sui oriri videntur, ὁμολογία summus finis Stoicorum, illa recta ratio quae semper eadem sibique concors est perturbatur, quamobrem a Cicerone affectus ipsi perturbationes nominantur. Affectibus enim iudicia de rebus externis saepissime mutantur, cum sint levia et mutabilia iudicia, beati autem

est semper idem velle et cogitare, semper idem nolle neque de suo statu rationali et constanti deici. Itaque affectus iam soli vitam infelicem et statum *ὁμολογίᾳ* contrarium efficiunt, cf. Posidonii verba Gal. V, p. 469: *τὸ δὴ τῶν παθῶν αἴτιον τουτέστι τῆς τε ἀνομολογίας καὶ τοῦ κακοδαίμονος βίου.* Hac in re Stoici Academicis et Peripateticis valde adversantur, quippe qui *μετριοπάθειαν* statuant non exstirpandos putantes esse affectus, sed eos non solum naturales sed etiam utiliter a natura datos et in bonos habitus mutari posse, quapropter iram cotem fortitudinis esse dicunt Cic. Tusc. Disp. IIII, 19, 43; Sen. de Ira I, 9; Arist. Eth. Nic. 1105, b, 33: *οὐ γὰρ ἐπαινεῖται ὁ φοβούμενος οὐδ' ὁ ὀργιζόμενος ἀλλ' ὁ πῶς.* Magis videntur Stoici Cynicos secuti esse quorum quidam maluerunt insanire quam voluptate gestire Diog. VI, 3 atque omnino rebus externis moveri noluerunt:

Ἡδονῇ ἀνδραποδώδει ἀδούλωτοι καὶ ἄκαμπτοι
ἀθάνατον βασιλείαν ἐλευθερίαν τ' ἀγαπῶσιν

Clem. Alex. Strom. II, p. 177, 47, quamquam et ipse Antisthenes *ἡδονὰς τὰς μετὰ τοὺς πόνους διωκτέον ἀλλ' οὐχὶ καὶ πρὸ τῶν πόνων* docuit. Etiam Stilpo hanc *ἀπάθειαν* beato necessariam esse docuit quin etiam ea beatitudinem contineri, at magna inter eius et Stoicorum *ἀπάθειαν* differentia invenitur: ille enim docuit suum sapientem ne sentire quidem quicquam incommodi, cum Stoici dicerent sentire quidem suum sapientem sed vincere omne incommodum Sen. Ep. 9, 1; Stob. Serm. VII, 21: *ἀλγεῖν μὲν τὸν σοφὸν μὴ βασανίζεσθαι δέ*, Diog. VII, 117: *φασὶ δὲ καὶ ἀπαθῆ εἶναι τὸν σοφὸν διὰ τὸ ἀνέμπτωτον εἶναι· εἶναι δὲ καὶ ἄλλον ἀπαθῆ τὸν φαῦλον ἐν ἴσῳ λεγόμενον τῷ σκληρῷ καὶ ἀτέγκτῳ.* Haec doctrina eo pertinere videtur quod Stoici corporis affectiones sicut lacrimas pallores tremitus aliasque ab animi motibus seiungentes vel sapientem iis esse obnoxium affirmaverunt. Corpus enim saepissime perterretur et signa terroris aliarumque affectionum edit, cum animus constantiam suam possit servare. A. Gell. Noct. Att. XII, 5, cf. Aug. de Civ. Dei VIIII, 4.

Plane diversae ab his corporis affectionibus sunt quae nominantur *εὐπάθειαι*, a Cicerone constantiae, quibus sapiens de statu suo de concordia vel constantia non deicitur. Eas tres esse Stoici voluerunt *βούλησιν* voluntatem cupiditati oppositam, *εὐλάβειαν* cautionem metui oppositam, *χαράν* gaudium voluptati oppositum, aegritudini autem nullam opposuerunt constantiam, quia nil aegritudinis simile in sapientis animo cui nullum malum posset adesse oriretur. Hae constantiae rectam rationem non transgrediuntur immo illa efficiuntur vel ipsae ratio recta possunt nominari, siquidem *πάθος* ratio perversa vocatur. Effici autem non possunt ex opinatis malis et bonis sicut affectus, sed ex veris, itaque ne affectus quidem mutari possunt in constantias neque ratione ornari. Nec motus transeuntes hae constantiae esse possunt id quod iam nomine latino probatur, — nam sapientis est semper gaudere de bonorum possessione, semper mala quae imminent cavere, semper bona quae vera sunt appetere et sibi servare, nec Stoici sibi constantes fuerunt docentes *χαρὰν καὶ εὐφροσύνην οὐ πᾶσι τοῖς φρονίμοις ὑπάρχειν* Stob. Ecl. Eth. p. 94. Definitione harum constantiarum efficitur ut sint quasi habitus qui ad complendam beatitudinem non sunt necessarii sed ex possessione summi

boni subsequantur necessario. Cf. de iis Cic. Tusc. Disp. IIII, 6; Diog. VII, 116; Plut. de Virt. Mor. c. 8; Aug. de Civ. Dei XIIII, 8; Lact. Div. Inst. VI, 15. Omnino haec doctrina a Stoicis non ita erat exculta, nescio an quod eam statuentes facile convinci possent repugnantiarum. Num iam ante Stoicos talia a philosophis sint tradita nescimus, attamen nobis persuadere non possumus, cum a Peripateticis et Academicis affectibus rectos motus animi et constantes opponi non necesse esset, neque Cynici Stilpoque disciplinam suam tam accurate excolerent ut ad difficiliora progrederentur. Apud Aristotelem tamen, quamquam de affectibus multo aliter ac Stoici tractat, voluntatem eodem modo cupiditati oppositam invenimus de An. 432, b, 5: *ἔν τε τῷ λογιστικῷ γὰρ ἡ βούλησις γίνεται καὶ ἐν τῷ ἀλόγῳ ἡ ἐπιθυμία καὶ ὁ θυμός*, ita ut Stoici certe has inter se contrarias animi affectiones ab Aristotele accepisse videantur.

Porro etsi Aristoteles non eodem modo *ἡδονῇ χαράν* opponit, tamen in doctrina de voluptate, et quomodo in anima oriretur et quomodo ad ethicen esset referenda, Stoici eum mirum in modum sunt secuti. Itaque nunc de voluptate quaedam seorsum lubet disputare.

Neque qui ante Socratem philosophiae operam dederunt neque Socrates ipse de voluptatis ortu et quanti illa in ethicis esset aestimanda accurate exquisiverunt, quamquam Socratem voluptatem non repudiasse immo ei aliquantulum tribuisse iam ex eo concludere licet, quod Aristippus voluptatem summum bonum hominibus proponens verus et sincerus Socratis discipulus sibi videbatur. A suo praeceptore Plato priori tempore non longe discessit, cum *τὸ ἡδὺ ἀγαθὸν εἶναι* doceret Prot. 358, B. Posteriori tempore cum Aristippus exstitisset aliqnanto accuratius de voluptate exposuit eamque oriri docuit, quando *ἡ κένωσις* propter *πλήρωσιν* recedat et harmonia accedat Phil. 31, E, ipsamque voluptatem nominavit *εἰς τὴν οὐσίαν ὁδόν* Phil. 32, B et *γένεσιν* Phil. 53, C: *ἆρα περὶ ἡδονῆς οὐκ ἀκηκόαμεν ὡς ἀεὶ γένεσίς ἐστιν οὐσία δὲ οὐκ ἔστι τὸ παράπαν ἡδονῆς;* Esse igitur voluptatem non *αὐτὸ καθ' αὑτό* sed *τὸ ἀεὶ ἐφιέμενον ἄλλου* ib. neque bonum Phil. 54, D: *ἄρ' οὖν ἡδονή γε εἴπερ γένεσίς ἐστιν εἰς ἄλλην ἢ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ μοῖραν αὐτὴν τιθέντες ὀρθῶς θήσομεν;* Qua ex re sequitur ut voluptas non sit sola persequenda Rep. 586, B, cum *οὐσία* sola animo satisfaciat. Attamen Plato, quoniam ex hominis natura voluptas proficiscatur, eam plane esse tollendam negat sed esse *καθαρὰς ἡδονὰς σχεδὸν ἀκαθάρτους ἀμίκτους λύπαις* quibus frui beatum oporteat honestae actioni quasi *ξυμφύτοις· ἑπομέναις* Phil. 51, C; 52.

Huic Platonicae doctrinae ex qua voluptas nil est nisi *γένεσις* vel *κίνησις* Aristoteles haud ambigue adversatur Eth. Nic. 1174, a, 17: *ὅλον — τί ἐστι (ἡ ἡδονή) καὶ κατ' οὐδένα χρόνον λάβοι τις ἂν ἡδονὴν ἧς ἐπὶ πλείω χρόνον γινομένης τελειωθήσεται τὸ εἶδος. διόπερ οὐδὲ κίνησίς ἐστιν. ἐν χρόνῳ γὰρ πᾶσα κίνησις καὶ τέλους τινός*, eodemque modo refellitur voluptatem *γένεσιν* esse. Non huic sententiae repugnat quod Aristoteles Rhet. 1369, b, 33 dicit: *ὑποκείσθω δ' ἡμῖν εἶναι κίνησιν τῆς ψυχῆς καὶ κατάστασιν ἀθρόαν καὶ αἰσθητὴν εἰς τὴν ὑπάρχουσαν φύσιν*, cum in rhetoricis non exquisite neque distincte disputet sed paulo

indiligentius pro usu rhetorico. Cum secundum Aristotelem voluptas neque sit *κίνησις* neque *γένεσις* neque *δύναμις* esse possit Eth. Nic. 1153, a, 25, reliquum est ut referatur ad *ἐνέργειαν* quacum voluptas tam arcte est conexa *ὥστε ἔχειν ἀμφισβήτησιν εἰ ταὐτόν ἐστιν ἡ ἐνέργεια τῇ ἡδονῇ* Eth. Nic. 1175, b, 33, cf. ib. a, 18 neque dubitat Aristoteles voluptatem *ἐνέργειαν* nominare (cf. Alex. Aphrod. Ap. et Lys. p. 275, 9: *ἐνέργεια γὰρ ἡ ἡδονὴ λέγεται ὑπ' Ἀριστοτέλους οὐχ ὡς αὐτὴ κατὰ τὸν οἰκεῖον λόγον οὖσα ἐνέργεια ἀλλ' ὡς ἐπ' ἐνεργείᾳ τὸ εἶναι ἔχουσα καὶ μὴ δυναμένη χωρὶς ταύτης γίνεσθαι*), quin etiam *τέλος*, cum sit *ἡ ἐνέργεια τέλος* Eth. Nic. 1153, a, 10. At cum de voluptate distinctius disputat eam non *τέλος* esse dicit sed *ἐπιγιγνόμενόν τι τέλος*, supervenientem vel accedentem finem *οἷον τοῖς ἀκμαίοις τὴν ὥραν οὐχ ὡς ἕξιν ἐνυπάρχουσαν*, ita ut operatio voluptate impleatur et perficiatur 1173, b, 32. Ita voluptas operationem rectam sequitur et quasi signum est num virtus adsit et recta voluntas necne Eth. Nic. 1104, b, 5: *ὁ μὲν γὰρ ἀπεχόμενος τῶν σωματικῶν ἡδονῶν καὶ αὐτῷ τούτῳ χαίρων σώφρων καὶ ὁ μὲν ὑπομένων τὰ δεινὰ καὶ χαίρων ἢ μὴ λυπούμενός γε ἀνδρεῖος, ὁ δὲ λυπούμενος δειλός*, cf. ib. 1099, a, 17: *οὐδ' ἀγαθὸς ὁ μὴ χαίρων ταῖς καλαῖς πράξεσιν*. Nec tamen operationem finitam solam voluptas subsequitur, id quod Schleiermacher Grundl. p. 241 censet, sed *ἐνέργειαν* comitatur, cum eam augeat et qui cum voluptate agant diligentius omnia indicent accuratiusque persequantur et administrent ib. 1175, a, 19. Cf. Kranichfeld: Platonis et Aristotelis de *ἡδονῇ* sententiae Berolini 1859 p. 22 s. Voluptas ex Aristotelis sententia *ἐνεργείᾳ* haudquaquam finis est proposita, at finis in *ἐνεργείᾳ* positus voluptatem in se habet conclusam et illa cum adest, indicat homines recta voluntate finem assecutos esse. *Ἐνέργειαν* voluptate non accedente sectaremur Eth. Nic. 1174, a, 4: *περὶ πολλά τε σπουδὴν ποιησαίμεθ' ἂν καὶ εἰ μηδεμίαν ἐπιφέροι ἡδονήν, οἷον ὁρᾶν μνημονεύειν εἰδέναι τὰς ἀρετὰς ἔχειν. εἰ δ' ἐξ ἀνάγκης ἕπονται τούτοις ἡδοναὶ οὐδὲν διαφέρει· ἑλοίμεθα γὰρ ἂν ταῦτα καὶ εἰ μὴ γίνοιτ' ἀπ' αὐτῶν ἡδονή*, at in eo sectando voluptas accedit. Cf. Trendelenburg: Naturrecht auf dem Grunde der Ethik. p. 64 s. Quanti Aristoteles voluptatem in ethica aestimaverit quantamque potestatem illi tribuerit praeterea apparet ex eius praecepto quo pueros ita esse educandos praecipit ut quibus deceat et laetentur et doleant 1172, a, 19: *δοκεῖ δὲ καὶ πρὸς τὴν τοῦ ἤθους ἀρετὴν μέγιστον εἶναι τὸ χαίρειν οἷς δεῖ καὶ μισεῖν ἃ δεῖ· διατείνει γὰρ ταῦτα διὰ παντὸς τοῦ βίου ῥοπὴν ἔχοντα καὶ πρὸς εὐδαίμονα βίον*.

Hanc Aristotelis doctrinam quomodo voluptas deberet oriri in anima et quae eius ratio in ethicis esset Stoici fere integram videntur assumpsisse. Nam cum Stoici alii inprimis Cleanthes ne multa turpia sequerentur *ἡδονήν* et a primis naturae motibus et a beatitudine omnino excluderent eamque contra naturam esse neque ullo modo admittendam docerent Sext. adv. Math. p. 560 contra Aristippum ac nescio an Epicurum acerrime pugnantes qui animalibus impetum primum voluptatis assequendae traderent, alii exstiterunt alia docentes, ex quo numero Chrysippum fuisse quippe qui mitiori doctrinae semper faveret verisimile est. Dixerunt enim illi *ἐπιγέννημα ἡδονὴν εἶναι ὅταν αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἡ φύσις ἐπιζητήσασα τὰ ἐναρμόζοντα τῇ συστάσει ἀπολάβῃ* Diog. VII, 86, itaque voluptatem in primis naturae inesse concesserunt, quamquam voluptatem

propter se ipsam esse appetendam semper negabant. Voluptas ex hac doctrina, si Stoici sibi constare voluerunt, tum semper oritur, cum homo in statu suo animali seu rationali conservatur et huius conservationis sibi est conscius. A principiis enim naturalibus homo, simulatque intellegentia orta est, amovetur et ordinem concordiamque naturae admiratur, qua re permovetur ut convenientiam summum bonum existimet eamque expetat, quam cum adeptus est gaudio afficitur sentiens se cum summa natura conspirare et sibi esse concordem quod gaudium et ipsum ἐπιγέννημα est Diog. VII, 94 i. e. habitus subsequens, cum eius causa res ex qua subsequitur non expetatur, sed semper sua ipsius causa comparetur, quae doctrina quantopere cum Aristotele congruat, quamquam Stoicis et Aristoteli non prorsus idem finis est ex quo ἡδονή subsequitur, tamen facile apparet, cum et vocem ipsam qua Aristoteles ἡδονήν definierat, Stoici servarint τέλος solum removentes ne, quod ἡδονήν finem statuissent, possent obiurgari. Ex eadem causa priores Stoici totam de gaudio vel voluptate recta doctrinam non valde excoluisse nobis videntur, cum inter posteriores inprimis Seneca prorsus Aristoteleo modo de gaudio affectionibusque illi similibus disputet: oriri ex cognitione boni gaudium grande et immotum comitatemque et diffusionem animi, quibus delectentur non ut bonis sed ut ex bono suo ortis de Vita beata 4, 5; nec honeste quemquam vivere ut non iucunde vivat nec iucunde ut non honeste quoque ib. 8, 1; virtute non voluptatem parari sed et voluptatem, nec virtutem huic laborare sed laborem eius, quamvis aliud petat, hanc quoque exsequi. Sicut in arvo quod segeti proscissum sit aliqui flores internascantur, non tamen huic herbulae quamvis delectet oculos, tantum operis esse insumptum. Aliud fuisse propositum serenti hanc supervenire: sic et voluptatem non esse mercedem nec causam virtutis sed accessionem nec si delectet placere, sed si placeat et delectare ib. 9, 1; ne gaudium quidem quod ex virtute oriatur, quamvis bonum sit, absoluti tamen boni partem esse non magis quam laetitiam et tranquillitatem, quamvis ex pulcherrimis causis nascantur. Esse enim ista bona, sed consequentia summum bonum non consummantia ib. 15, 2; cf. Ep. 27, 3; 59, 1; 66, 20.

Quamquam similitudo doctrinae de voluptate inter Aristotelem et Stoicos maxima est, ita ut Stoicos fere quicquid de voluptate docerent ab Aristotele accepisse possimus affirmare, tamen si totam de affectibus doctrinam Stoicorum inspexerimus, etiam in descriptione voluptatis differentiam quandam inveniemus. Cum enim Stoici omnes animi motus iudicio suscipi doceant, gaudium quoque illud de possessione bonorum quae vera sunt tum demum oritur cum singuli sibi conscii sunt se possidere haec vera bona et rectum esse illud gaudium de hac possessione admittere. Itaque Stoici voluptatem ab actione vel habitu recto seiungunt neque illam comparari nisi conscientia singulorum dicunt, cum Aristoteles ἡδονήν ipsa ἐνεργείᾳ effici, in ipsa ἐνεργείᾳ poni neque alteram ab altera seiungi posse tradat, cf. Feuerlein philos. Sittenl. p. 150 s. Neque ita fieri potuit ut Stoici voluptatem ipsam ἐνέργειαν vocarent, cum Aristoteles ita eam nominare non dubitasset.

Plane diversa est ab hac voluptate qua Stoici ne sapienti quidem interdixerunt, quam tamen

multo magis habitum quam motum esse censuerunt, altera voluptas ἡ ἄλογος ἔπαρσις quam nonnulli Stoicorum, etsi iis τὰ πάθη sunt κακὰ μὴ ἀναγκαῖα Stob. Ecl. Eth. p. 138, tamen sibi non constantes in adiaphoris ponebant et κατὰ φύσιν esse censebant Diog. VII, 102; Stob. p. 146 cf. p. 92 hac in re non sapientem sed homines quales sunt respicientes, neque propterea mirum est, quod sibi ipsi repugnaverunt, cum simulatque in vitam communem a sapientis statu descenderunt, eos in repugnantias incidere necesse sit.

His absolutis si iterum doctrinam Stoicorum de affectibus perlustraverimus, illam a Stoicis primis fuisse tantopere excultam concedemus et eos in hac praecipue a prioribus philosophis discessisse, cum beatum, si vellet εὐροίᾳ βίου frui, illis vacare debere docerent, et idcirco iis ratio invenienda esset qua homines iis possent vacare. Cum autem iam ortu affectuum in anima demonstrarent fieri posse ut homines eos in animam non admitterent, multo copiosiores fuerunt in explicandis et definiendis affectibus et variis eorum generibus et speciebus distinguendis quam in praeceptis quibus illi sanarentur tradendis. Attamen eos in hac quoque doctrina singula a superioribus philosophis quantum possent pro sua ab aliis prorsus diversa animae descriptione in suum convertisse assentiemur, inprimis Aristoteleam de voluptate doctrinam sibi vindicasse.

Ab his omnibus animi perturbationibus qui vacuus est ita ut convenienter naturae vivere non prohibeatur et qui idem virtutem possidet ex Stoicorum doctrina σοφός vel σπουδαῖος vel ἀστεῖος vel φρόνιμος nominatur cui oppositus est φαῦλος vel ἄφρων, atque in hoc sapienti describendo Stoici quasi imaginem humanitatis perfectae sollertissime depinxerunt. Σοφός perfectus homo ab illis nominatur, quod tota hominum beatitudo et finis in possessione rectae intellegentiae posita sunt, qua quomodo debeamus agere et vivere cognoscimus, unde et nomen φρονίμου ductum est. Sequitur ex hac intellegentia qua Stoici sapientem praeditum esse volunt illum non opinaturum, hoc est falso viso nunquam assensurum Stob. Ecl. Eth. p. 230: ψεῦδος δὲ ὑπολαμβάνειν οὐδέποτε τὸν σοφόν, οὐδὲ τὸ παράπαν ἀκαταλήπτῳ τινὶ συγκατατίθεσθαι διὰ τὸ μηδὲ δοξάζειν αὐτὸν μηδ' ἀγνοεῖν μηδέν, Plut. adv. Stoic. c. 11; Cic. Ac. II, 24, 77, cf. Lips. Manud. III diss. 8, neque, cum haec intellegentia numquam mutetur nec amittatur, eum unquam erraturum, sed semper recta iudicia servaturum Stob. l. l. p. 244; Diog. VII, 117. Eodem modo ex hac intellegentia efficitur ut quicquid sapiens agat κατόρθωμα sit i. e. rectum et perfectum officium quod omnes numeros habet et ex recta voluntate oritur et recte perficitur Cic. Tusc. Disp. IIII, 6, 12. Cum ad sui sapientis accuratiorem descriptionem Stoici progrediuntur, primum ita eum definiunt ut in se solo sit nixus neque ulla re ad beate vivendum egeat quippe qui virtutem se ipsa ad beatitudinem contentam possideat Sen. Ep. 9, 1; 55, 4; 72, 7. Praeterea ex hac possessione virtutis vel rectae rationis omnes illae virtutes vel laudes manant quibus Stoici sapientem suum exornare solebant in illis notissimis paradoxis. Docebant enim sapientem solum esse liberum, ceteros omnes servos, cum libertas esset potestas per se operandi, servitus autem privatio illius potestatis Diog. VII, 121; solum pulchrum Plut. adv. Stoic. c. 28, quia virtus sola esset pulchra; solum divitem, quoniam is

revera esset dives qui cupiditatibus careret Cic. Parad. 5; Stob. Serm. 92; quin etiam omnia sapientis esse Diog. VII, 125: *καὶ τῶν σοφῶν δὲ πάντα εἶναι· δεδωκέναι γὰρ αὐτοῖς παντελῆ ἐξουσίαν τὸν νόμον*, cf. Sen. de Benef. VII, 4 ubi dicit nihil prohibere aliquid et sapientis esse et eius cui assignatum sit. Iure civili omnia regis esse et tamen illa quorum ad regem pertineat universa possessio in singulos dominos descripta esse et unamquamque rem habere possessorem suum. Ad regem enim potestatem pertinere, ad singulos dominium. Eodem modo etiam omnia sapientis esse non occupatione sed animo, cf. Lips. l. l. III, diss. 11. Porro Stoici dicunt sapientes solos esse reges magistratus cives, cum soli oboedire et imperare sciant, solos sacerdotes, cum praeter illos nemo sciat quomodo dei sint colendi Diog. VII, 122; Stob. Ecl. Eth. p. 122; 216; solos esse vates rhetores artifices. Sed quid ad rem omnes illas laudes sapientis enumerare, cum iam cognoveris omnes illas virtutes ex virtute una, ratione recta, esse deductas! Id solum nobis liceat denique afferre Stoicorum sapientem tam beatum esse, ita omnia bona in se habere ut ne a deis quidem differat, nisi tempus exceperis quod quidem, cum beatitudo diuturnitate temporis crescere nequeat, non est respiciendum. Plut. de Stoic. Rep. c. 13; Stob. p. 198: *καὶ τὴν εὐδαιμονίαν (τῶν ἀγαθῶν) μὴ διαφέρειν τῆς θείας εὐδαιμονίας, μηδὲ τὴν ἀμεριμνίαν ὁ Χρύσιππός φησι διαφέρειν τῆς τοῦ Διὸς εὐδαιμονίας, κατὰ μηδὲν αἱρετωτέραν εἶναι μήτε καλλίω μήτε σεμνοτέραν τὴν τοῦ Διὸς εὐδαιμονίαν τῆς τῶν σοφῶν ἀνδρῶν*. Quin etiam Iovem a sapienti adiuvari docent Plut. adv. Stoic. c. 33: *ἀρετῇ τε γὰρ οὐχ ὑπερέχειν τὸν Δία τοῦ Δίωνος· ὠφελεῖσθαι δὲ ὁμοίως ὑπ' ἀλλήλων τὸν Δία καὶ τὸν Δίωνα σοφοὺς ὄντας*. Ceterum si num qui sapientes exstitissent Stoici interrogabantur affirmabant Socratem Antisthenem Diogenem magnos progressus fecisse nec longe a vertice constitisse Diog. VII, 91, verum sapientem aut non exstitisse aut fortasse tanquam phoenicem semel anno quingentesimo nasci Sen. Ep. 42, 1; cf. de Const. Sap. 4, 1.

At si quaerimus num Stoici primi hanc imaginem perfectae humanitatis statuerint an tale quid iam a prioribus sit propositum, hac in re haudquaquam cum Feuerleino possumus facere qui Phil. Sittenl. p. 157 dicit: Eine ganz neue Erscheinung tritt in der stoischen Sittenlehre gegenüber der früheren mit der Aufstellung der Person des Weisen ein. Concedemus quidem Socratem in imagine quae existere non posset exornanda non versatum esse, quamquam etiam apud eum quaedam invenimus simillima illi Stoicorum sapienti qui se solo est contentus neque ulla externarum rerum ad complendam beatitudinem eget Mem. I, 6, 10: *ἐγὼ δὲ νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δέεσθαι θεῖον εἶναι, τὸ δὲ ὡς ἐλαχίστων ἐγγυτάτω τοῦ θείου, καὶ τὸ μὲν θεῖον κράτιστον τὸ δὲ ἐγγυτάτω τοῦ θείου ἐγγυτάτω τοῦ κρατίστου*. Discipuli Socratis, nescio an exemplo ipsius Socratis qui illi imagini proximus erat adducti, descriptione hominis omnibus numeris perfecti iam magis delectabantur. Ne memoremus illum *θεωροῦντα* Aristotelis quem quidem Aristoteles fere ex omni hominum societate et vita communi excipiens deis simillimum exsistere non potuit sibi persuadere Eth. Nic. 1178, 6, 2 ss, neve longiorem mentionem faciamus illius Platonici iusti in quo, cum *δικαιοσύνη* unamquamque virtutem complectatur, omnes laudes inesse Plato docet, Cynici eosque sequens Stilpo sapientem proposuerant illi Stoico simillimum.

Quo enim alio referenda est illa fabula qua Diogenes lucerna accensa interdiu ambulasse et se homines quaerere dixisse narratur? At ne in fabulis commenticiis versemur iam invenimus inter placita Cynicorum quae illis Stoicorum de sapienti dogmatis omnino congruunt. Dicunt enim Cynici — ut omittamus illam sapientis Cynici *ἀτυφίαν* quam eandem Stoici acceperunt — *αὐτάρκη εἶναι τὸν σοφόν· πάντα γὰρ αὐτοῦ εἶναι τῶν ἄλλων* Diog. VI, 11; *θεοῦ ἴδιον τὸ μηδενὸς δεῖσθαι τῶν δὲ θεῷ ὁμοίων τὸ ὀλίγων χρῄζειν* Suid. s. v. *Κυνισμός*; *τῷ σοφῷ ξένον οὐδὲν οὐδ' ἄπορον· ἀξιέραστον τὸν ἀγαθόν* Diog. VI, 12; *ἀξιέραστόν τε τὸν σοφὸν καὶ ἀναμάρτητον καὶ φίλον τῷ ὁμοίῳ, τύχῃ δὲ μηδὲν ἐπιτρέπειν* ib. 105; *τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας θεῶν εἰκόνας εἶναι* Diog. VI, 51, cf. 37 et 72 ubi omnia esse dicit Diogenes deorum et, cum sapientes sint amici deorum, omnia sapientium, cf. Zeller II, 1 p. 223 s. Quae omnia Stoici fere nil mutantes in suam disciplinam receperunt. Quin etiam quod Stoici dicunt sapientem solum regem esse Cynicum videtur, siquidem illi fabulae veritatis quid velimus tribuere qua Diogenes interrogatus quid facere sciret respondisse exhibetur: in viros dominari. Ita illa paradoxa quae a Stoicis de sapienti pronuntiantur magnam partem Cynica esse apparet nisi malis Ciceroni assentiri qui Parad. 1 dicit ista maxime videri esse Socratica; Acad. II, 44, 136; cf. Xen. Mem. III, 9, 10. Hoc tamen inter Stoicorum et Cynicorum sapientem interesse nobis persuasimus, quod Cynici quamquam docebant fieri non posse ut inveniretur qui lapsus non esset Diog. VI, 89, tamen sapientem suum ita descripserunt ut imaginem illam adaequare possent atque ipsi hanc speciem in vita sua fere omnibus rebus externis sibi interdicentes consequi omnibus viribus conati sunt — cum Stoici sapientem suum ita exornaverint ut et ipsi maxime dubitarent num quis omnino hanc perfecti sapientis imaginem posset assequi. Quanti haec vita Cynicorum quae inprimis in eo erat posita, quod omnes res externas contemnebant, cf. Suid. s. v. *Κυνισμός*, et a Stoicis ipsis aestimata sit concludere licet ex Zenonis voce Diog. VII, 121: *τὸν σοφὸν αὐτὸν κυνιεῖν· εἶναι γὰρ τὸν κυνισμὸν σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδόν*, et ex eo, quod praeter Socratem etiam Antisthenem et Diogenem sapientiae proximos fuisse putabant.

Non minus quam in describendo suo sapienti Stoici Cynicos in insipientis definitione imitati sunt cujus rei Socrates videtur auctor fuisse Xen. Mem. III, 9, 6: *μανίαν γε μὴν ἐναντίαν μὲν ἔφη εἶναι σοφίᾳ οὐ μέντοι γε τὴν ἀνεπιστημοσύνην μανίαν ἐνόμιζεν. τὸ δὲ ἀγνοεῖν ἑαυτὸν καὶ ἃ μὴ οἶδε δοξάζειν τε καὶ οἴεσθαι γιγνώσκειν ἐγγυτάτω μανίας ἐλογίζετο εἶναι.* Socrates igitur sapientiae iam insipientiam vel dementiam opponit unde illa doctrina Stoicorum manavit ex qua unumquemque stultum *(φαῦλον)* insanire docent Stob. Ecl. Eth. p. 124: *ἔτι δὲ λέγουσι πάντα φαῦλον μαίνεσθαι ἄγνοιαν ἔχοντα αὑτοῦ καὶ τῶν καθ' αὑτὸν ὅπερ ἐστὶ μανία*, Tusc. Disp. III, 5, 10; Diog. VII, 124; cf. quae similia professi sunt Cynici Diog. VI, 71; 33; 86; Stob. Floril. 80, 6, quibus ex locis etiam elucet Cynicos eodem modo ac Stoicos duo quasi hominum genera inter se opposuisse bonorum et pravorum neque proficientes *προκόπτοντας* medios esse. Cf. Stoicorum dogma Stob. Ecl. Eth. p. 198: *ἀρέσκει γὰρ τῷ τε Ζήνωνι καὶ τοῖς ἀπ' αὐτοῦ Στωϊκοῖς φιλοσόφοις δύο γένη τῶν ἀνθρώπων εἶναι τὸ μὲν τῶν*

σπουδαίων τὸ δὲ τῶν φαύλων· καὶ τὸ μὲν τῶν σπουδαίων διὰ παντὸς τοῦ βίου χρῆσθαι ταῖς ἀρεταῖς τὸ δὲ τῶν φαύλων ταῖς κακίαις. Quod quidem non ita est accipiendum quasi omnino profectum in virtute esse negaverint, sed medium inter virtutem et vitiositatem inter sapientem et insipientem esse negabant, cum bonum crescere nequeat. Ut enim qui demersi sunt in aqua nihilo magis respirare possint, si non longe absint a summo et iam iamque possint emergere, quam si etiam tum sint in profundo, nec catulus ille qui iam appropinquet ut videat plus cernat quam is qui modo sit natus, item qui processerit aliquantum ad virtutis aditum eum nihilo minus in miseria esse quam illum qui nihil processerit Cic. Fin. III, 14, 48; cf. Plut. adv. Stoic. c. 10. Hos duos autem Stoici certe severius inter se opposuerunt quam Cynici qui num illud a Socrate acceptum accuratius excoluerint valde dubito. Ab hac severitate tamen posteriores Stoici digressi sunt inprimis Seneca qui inter consummatae sapientiae virum et alterum procedentis talem differentiam statuit qualis sit inter sanum et ex morbo gravi ac diutino emergentem: hunc subinde gravari et in eadem revolvi, sapientem recidere non posse ne incidere quidem amplius Ep. 72, 6. Atque in hoc proficiente accuratius describendo Seneca multum operae posuit proficientes alibi in duas classes Ep. 71 alibi in tres dividens Ep. 75, 8 ss. cf. Lips. Manud. II diss. VIIII, qua in re longi non erimus, cum hae divisiones Senecae ipsius non priorum Stoicorum esse videantur.

Cum hac differentia inter sapientes *(σοφούς)* et proficientes *(προκόπτοντας)*, inter sapientiam et profectum *(προκοπήν)* alia cohaeret quae statuitur inter *κατόρθωμα* et *καθῆκον* quam propriam Stoicorum esse affirmare possumus, quin etiam his rebus nova nomina sicut illi profectui invenisse. *Καθῆκόν φασιν εἶναι ὃ πραχθὲν εὔλογόν τιν' ἴσχει ἀπολογισμὸν οἷον τὸ ἀκόλουθον ἐν τῇ ζωῇ ὅπερ καὶ τὰ ἐπὶ τὰ φυτὰ καὶ ζῶα διατείνει — ἐνέργημα δ' αὐτὸ εἶναι ταῖς κατὰ φύσιν κατασκευαῖς οἰκεῖον* Diog. VII, 107 s. — *κατορθώματα δ' εἶναι τὰ κατ' ἀρετὴν ἐνεργήματα* Stob. Ecl. Eth. p. 158 sive *πάνθ' ὅσα κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττεται* Stob. l. l. p. 192 ita ut quicquid sapiens agat, cum semper sequatur rectam rationem, *κατόρθωμα* sit, cf. Cic. Off. III, 3, 14, Stob. l. l. p. 220; Clem. Alex. Paed. p. 59, 52 ed. Sylb. *Κατορθώματα* igitur et *καθήκοντα* ita inter se differunt ut illa sint actiones recta ratione et recta voluntate et recta intellegentia nixae haec autem actiones vel sola consuetudine vel legibus externis ortae. Quomodo *καθήκοντα* quae eadem officia media appellantur *(μέσαι πράξεις)* in *κατορθώματα* officia recta mutentur Chrysippus Stob. Floril. 103, 22 explicat: *ὅταν αἱ μέσαι πράξεις προσλάβωσι τὸ βέβαιον καὶ ἑκτικὸν καὶ ἰδίαν πῆξίν τινα λάβωσιν*, i. e. cum ratione sibi semper constanti efficiuntur; hoc enim modo *κατορθώματα* cum summo Stoicorum fine conexa sunt et ab illo pendent.

Stoici hac re de disciplina morali optime meriti sunt quod actiones legitimas ut ita dicam ab actionibus quae vere sunt honestae et omnibus numeris perfectae et ex recta voluntate oriuntur distincte seiunxerunt itaque voluntatem hominis multo pluris aestimaverunt quam actiones quibus homines iudicari solent, cum priores philosophi qui ethicae omnino operam dederant has res attigissent quidem neque tamen aeque accurate definiissent.

Ex hac doctrina quidem compluria Stoicis consequuntur quae primo obtutu ab honestis moribus et rectis abhorrere videntur, ut Stoici dicunt licere carne hominum quin etiam affinium vesci incestum facere vel concumbere cum pueris aliaque ab omni honestate remota. At licere haec sapienti docebant quod voluntas qua actio perficitur non actio quam alii vident ab iis iudicatur, neque fieri potest quin actio unaquaeque sapientis qui semper secundum rectam rationem agat honesta sit et nominetur. Ceterum haec paradoxa a Cynicis fere omnia sumpta esse cognoscemus, simulac vitam Cynicorum inprimis Diogenis et Cratetis respexerimus, quamquam hi haec paradoxa non aeque arcte cum reliquis suis placitis possunt coniungere ac Stoici et ita agunt magis despectu legum externarum et consuetudinis permoti quam praeceptis ex philosophia sua ductis.

In hac igitur de sapienti doctrina Stoicos vidimus multa et genuina Cynica in suum transtulisse — quantum a Stilpone acceperint disceptare non possumus, cum quomodo ille sapientem suum accuratius descripserit nesciamus: utrique et Stoici et Cynici hominem in se solo niti neque ullo modo a rebus externis ne ab hominibus quidem aliis pendere voluerunt; at Cynici sapientem tantum effici actionibus externis praecipue despectu omnium rerum externarum non dissimulato censuerunt, cum Stoici id inprimis inculcarent sapientem cognosci voluntate sola habitu solo nec ex actionibus quae conspicerentur voluntatem concludi posse.

Sapiens igitur Stoicorum se ipso contentus est ad b e a t e v i v e n d u m, cum ad hoc tantum animo sano et erecto et despiciente fortunam opus sit, at sapiens non se ipso contentus est ad v i v e n d u m; ad vitam enim multis illi rebus opus est Sen. Ep. 9, 13. Si enim sapienti cibus aliaque ad vitam necessaria subducuntur non vivet sed fame peribit. Beatitudo quidem morte non minuitur, sed sine his rebus ad vitam necessariis omnino effici nequit. Itaque Stoici si vitam ipsam respicere volunt, his quoque rebus locum quendam in ethicis suis tribuent et quanti sint aestimandae statuent. Ex sincera Stoicorum doctrina h o n e s t u m solum bonum est Diog. VII, 101: *λέγουσι δὲ μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν εἶναι — εἶναι δὲ τοῦτο ἀρετὴν καὶ τὸ μετέχον ἀρετῆς*, cf. Cic. Fin. II, 21, 68: „negant (Stoici) quicquam esse bonum nisi quod honestum sit“; Stob. Ecl. Eth. p. 140. Hac in re Stoici Cynicos sine dubio sunt secuti qui eodem modo dixerunt *τἀγαθὰ καλὰ τὰ κακὰ αἰσχρά* Diog. VII, 12; cf. Zeller II, 1, 215 qui ex Epiphanio Exp. Fid. 1098 C locum quendam affert: *ἔφησε Διογένης τὸ ἀγαθὸν οἰστὸν παντὶ σοφῷ εἶναι τὰ δ' ἄλλα πάντα οὐδὲν ἢ φλυαρίας ὑπάρχειν*. — Stoici cum unum bonum solum statuerent, omnino de b o n i s doctrinam excolere non debuerunt, attamen cum illius temporis disciplinae philosophicae in definiendo quae essent bona, quae non, maxime versarentur, et ipsi hanc notionem in suam disciplinam acceperunt ut qualem rationem haberent ad ceteros philosophos demonstrarent.

Primum quidem notandum est Stoicos hac in doctrina saepissime sibi repugnasse, cum non accurate verba observarent, sed saepius nomine bonorum res designarent a quibus omnem honestatem secluserunt; ut apud Stobaeum *τιμή φιλία* Ecl. Eth. p. 128, *εὐτεχνία εὐγηρία εὐζωΐα* p. 130 in bonis numerantur, ne memoremus *ἐπιγεννήματα* quoque virtutis *χαράν* et

εὐφροσύνην ib. p. 92, cf. p. 94 in bonis haberi. Cf. Plut. de Stoic. Rep. c. 30. Praeterea medios Stoicos a severitate priorum valde discessisse Diogenes refert VII, 128: *ὁ μέν τοι Παναίτιος καὶ Ποσειδώνιος οὐκ αὐτάρκη λέγουσι τὴν ἀρετὴν ἀλλὰ χρείαν εἶναί φασι καὶ ὑγιείας καὶ ἰσχύος καὶ χορηγίας* cf. VII, 103, quod quatenus ad Posidonium pertinet num ex Seneca quasdam Posidonii voces afferente Ep. 87 refelli possit dubito. Cf. Zeller III p. 345.

Zeno iam ea quae sunt divisit in bona et mala et neutra Stob. p. 90; Diog. VII, 101, Xenocratem sine dubio imitatus qui dicit: *πᾶν τὸ ὂν ἢ ἀγαθόν ἐστιν ἢ κακόν ἐστιν ἢ οὔτε ἀγαθόν ἐστιν οὔτε κακόν*, quam quidem divisionem fere omnibus Peripateticis et Academicis usitatam fuisse ex Sexto adv. Math. p. 546 intellegitur. Itaque facere non possumus ut hac in re assentiamur Schleiermachero cuius verba sunt Krit. d. Sittenl. p. 244: Wie denn auch die Eintheilung alles dessen was ist in Güter, Uebel und keines von beiden ein dialectisches Wagestück sein mag aus der Verlegenheit den ihnen fremden Begriff irgendwo anzuknüpfen entstanden. Bonorum divisionem constituens Zeno ab ea divisione quae fere omnium illius temporis philosophorum fuisse videtur paulum discessit. Docuit enim *τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι περὶ ψυχήν, τὰ δ' ἐκτός, τὰ δ' οὔτε περὶ ψυχὴν οὔτ' ἐκτός — ἐκτὸς τούς τε φίλους καὶ τοὺς γνωρίμους καὶ τὰ παραπλήσια — οὔτε δὲ περὶ ψυχὴν οὔτ' ἐκτὸς τοὺς σπουδαίους καὶ καθόλου τοὺς κατ' ἀρετὰς ἔχοντας*. Stob. p. 98; cf. Diog. VII, 95, eodemque modo mala partitus est, cum alii philosophi distinguerent inter bona animi et corporis et externa Arist. Eth. Nic. 1098, b, 12; Magn. Mor. 1184, b, 1; Cic. Acad. I, 5, 9 s; cf. Giphanius in Arist. l. l. Eth. Nic. Bona corporis Stoici esse negare debuerunt neque idcirco ab aliis usurpatam partitionem potuerunt accipere. Haec bonorum divisio quid omnino in Stoicorum ethicis valuerit equidem non possum intellegere, neque longe abest quin eam ex sola cupiditate definiendi et partiendi ortam esse mihi persuadeam. Nec plus valere videtur qua bonorum esse dicuntur *τὰ μὲν τελικὰ τὰ δὲ ποιητικὰ τὰ δὲ τελικὰ καὶ ποιητικά* Diog. VII, 96; Stob. p. 160 quam num et ipsam a prioribus philosophis sibi vindicaverint nescimus. At has divisiones aliasque quas iam omittimus Stoicos ab Aristotele sumpsisse Schleiermacher nobis non persuadet qui l. l. dicit: Ferner erhellt das nämliche aus allen ihren Eintheilungen, welche genau betrachtet keine andern sind als die des Aristoteles in ihrer mehr dialectischen Sprache ausgedrückt. Hae enim divisiones ut multae aliae fere omnibus philosophis illius temporis fuisse probatae videntur id quod ex Aristotele ipso tales partitiones quasi notissimas afferente licet demonstrari.

Multo plus quam omnes hae divisiones in ethicis Stoicorum quae ab iis nominantur *ἀδιάφορα* valent. Cum enim quicquid bonum est in nostra positum sit potestate, quicquid malum in eadem nostra potestate, quaecumque sunt in nostra voluntate nec bona nec mala *τὰ μεταξὺ ἀγαθῶν καὶ κακῶν* quae neque prosunt neque nocent Diog. VII, 102 *ἀδιάφορα* a Stoicis vocantur, ne longius explicemus alteram huius vocis vim, qua hoc nomine *ἀδιαφόρων* significantur a Stoicis quae neque appetitum neque aversationem movent sicut extendere digitum Diog. VII, 104; cf. Stob. p. 142. Notionem quidem harum rerum quae nec bona nec

mala sunt Stoici minime invenerunt, cum iam Cynici eadem docuissent et Aristoteles iam in libro τῶν Ἀντικειμένων dixisset esse τινὰ τρόπον ἀντιθέσεως τῶν μήτε ἀγαθῶν μήτε κακῶν πρὸς τὰ μήτε ἀγαθὰ μήτε κακά. Simpl. in Arist. Cat. p. 88, b, 5. At nomen huius notionis Stoicos invenisse ex eodem Simplicii loco cognoscimus: ἀδιάφορα δὲ αὐτὰ οὐκ ἐκάλεσεν ὡς οἶμαι διὸ νεώτερον ἦν τὸ τοῦ ἀδιαφόρου ὄνομα παρὰ τῶν Στωϊκῶν τεθέν, neque fidem habere possumus Diogeni qui Cynicorum hanc vocem esse putat VI, 105: τὰ δὲ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀδιάφορα λέγουσιν (οἱ Κυνικοί) ὁμοίως Ἀρίστωνι τῷ Χίῳ cum Cynici in inveniendis novis verbis haudquaquam versati sint. In his igitur rebus indifferentibus quae a Cicerone nominantur Stoici omnes posuerunt quicquid ad beatitudinem non facit (cf. Diog. VII, 104; Stob. Ecl. Eth. p. 142), sanitatem robur divitias pulchritudinem gloriam similiaque quin etiam profectum (προκοπήν) et quaecumque his contraria sunt Diog. VII, 102; 105 ss. Omnia haec Academici et Peripatetici aut mala aut bona esse censuerunt et aliquantulum ad beatitudinem valere, cum Stoici his rebus in ethicis nil pretii tribuerent et ad beatitudinem vel summum finem hominum quicquam valere negarent, quod homines ab rebus externis non pendentes in se ipsis solis niti voluerunt, quamquam huius rei praeterea alias causas afferebant e. g. Diog. VII, 103: ὡς γὰρ ἴδιον θερμοῦ τὸ θερμαίνειν οὐ τὸ ψύχειν οὕτω καὶ ἀγαθοῦ τὸ ὠφελεῖν οὐ τὸ βλάπτειν. οὐ μᾶλλον δ' ὠφελεῖ ἢ βλάπτει ὁ πλοῦτος καὶ ὑγίεια· ἔτι δέ φασιν ᾧ ἔστιν εὖ καὶ κακῶς χρῆσθαί τοῦτ' οὐκ ἔστιν ἀγαθόν· οὐκ ἄρ' ἀγαθόν τι πλοῦτος καὶ ὑγίεια, cf. Plut. de Stoic. Rep. c. 31. Haec indifferentia Aristo Chius omnia paria esse neque ullum eorum quicquam pretii habere semper affirmavit, hac in re reliquis Stoicorum placitis congruens et praestans se sincerum Cynicorum sectatorem Cic. Legg. I, 21, 55 itaque τέλος dixit esse τὸ ἀδιαφόρως ἔχοντα ζῆν πρὸς τὰ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας μηδ' ἡντινοῦν ἐν αὐτοῖς παραλλαγὴν ἀπολείποντα, ἀλλ' ἐπίσης ἐπὶ πάντων ἔχοντα Diog. VII, 160; cf. Cic. Fin. IIII, 17, 47; Clem. Strom. II, 179, 18, quam ἀδιαφορίαν Chrysippus ipse impugnavit Plut. adv. Stoic. c. 27. Alii enim Stoicorum inprimis principes intellexerunt beatitudinem non effici posse nisi vita servaretur et uno modo in virtute sola summum bonum collocari posse, si quod esset animal quod totum ex mente constaret, id ipsum tamen sic ut ea mens nil haberet in se quod esset secundum naturam, ut valetudo esset, itaque earum quoque rerum quae ad vitam servandam aut delendam pertinent delectum habuerunt, quamquam eas ad beatitudinem ipsam nil valere semper dicebant. Quin etiam Herillus differentiam statuit inter ὑποτελίδα et τέλος Diog. VII, 165 et ὑποτελίδα ita explicasse videtur ut essent res ad vitam necessariae quae primae a natura nobis conciliarentur, fundamentum quasi in quo beatitudo exsistere posset. Haec enim vox a Stobaeo Ecl. Eth. p. 60 sic explicatur: ὑποτελὶς δ' ἐστὶ τὸ πρῶτον οἰκεῖον τοῦ ζώου πάθος ἀφ' οὗ κατήρξατο συναισθάνεσθαι τὸ ζῶον τῆς συστάσεως αὐτοῦ οὔπω λογικὸν ἀλλὰ ἄλογον κατὰ τοὺς φυσικοὺς καὶ σπερματικοὺς λόγους ὥσπερ τὸ θρεπτικὸν καὶ τὸ αἰσθητικὸν καὶ τὸ τοιούτων ἕκαστον· γενόμενον γὰρ τὸ ζῶον ᾠκειώθη τινὶ πάντως εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ὅπερ ἐστὶν ὑποτελίς, κεῖται δ' ἔν τινι τῶν τριῶν ἢ γὰρ ἐν ἡδονῇ ἢ ἐν ἀοχλησίᾳ ἢ ἐν τοῖς πρώτοις κατὰ φύσιν. Ita nominantur a Stoicis res

quas primas natura nos iubet appetere ratione in nobis nondem adulta et apud Stobaeum l. l. sunt *τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν* haec: *περὶ μὲν τὸ σῶμα· ἕξις κίνησις σχέσις ἐνέργεια δύναμις ὄρεξις ὑγεία ἰσχύς εὐεξία εὐαισθησία κάλλος τάχος ἀρτιότης, αἱ τῆς ζωϊκῆς ἁρμονίας ποιότητες· περὶ δὲ ψυχὴν εὐσυνεσία εὐφυΐα φιλοπονία ἐπιμονή μνήμη τὰ τούτοις παραπλήσια, ὧν οὐδέπω τεχνοειδὲς οὐδὲν σύμφυτον δὲ μᾶλλον.* Gellius autem hoc primorum nomine nil nisi corporis commoda [et incommodorum remotionem contineri dicit XII, 5, 7. In his primis naturae — nominantur eadem a Cicerone principia naturalia, initia naturae et aliter, cf. de diversis latinis nominibus et omnino de vi et ratione eorum Madvig excurs. IIII in Cic. Fin. p. 828 ss. — ratio exculta non iam inest, sed eodem impetu qui nobis has primas conciliat oritur.

Ab iis non valde differunt quae tantum *τὰ κατὰ φύσιν* nominantur quam notionem Stoici sine dubio fere nil mutantes ab Academicis receperunt. Illi enim — id quod iam supra vidimus — finem summum ita constituerant ut esset vivere omnibus aut maximis rebus iis quae s e c u n d u m n a t u r a m e s s e n t fruentem Cic. Ac. II, 7, 14, cf. *τέλος* Speusippi Clem. Strom. II, p. 180. 17, quamquam Academici in iis quae vocabant *τὰ κατὰ φύσιν* rationem iam contineri videntur dixisse, cum nil ad beatitudinem opus esse affirmarent, nisi quae essent secundum naturam; ratio autem quae virtutem efficit ad beatitudinem est necessaria. Rationem Stoici eodem modo haud scio an in *τοῖς κατὰ φύσιν* collocaverint, certe haec inprimis a posterioribus Stoicis plurimi fuisse aestimata ex finibus summis cognoscimus quos Diogenes Antipater alii proposuerunt cum Academicis fere congruentes, ut Archedemus finem esse dixit *ἐκλέγεσθαι τ ὰ κ α τ ὰ φ ύ σ ι ν μ έ γ ι σ τ α κ α ὶ κ υ ρ ι ώ τ α τ α οὐχ οἷον τε ὑπερβαίνειν* Clem. Strom. II, 179, 13; cf. Plut. adv. Stoic. c. 26 unde apparet prudentem delectum *τ ῶ ν π ρ ώ τ ω ν κ α τ ὰ φ ύ σ ι ν* finem statutum ab quibusdam fuisse. — Magna differentia inter *τὰ κατὰ φύσιν* et *τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν* certe non fuit; sed Stoici *π ρ ῶ τ α* ad *τὰ κατὰ φύσιν* adiecisse videntur ne quis in his *κατὰ φύσιν* rationem adultam iam inesse crederet, cum Academici eam in rebus secundum naturam iam posuissent. Neque *τὰ κατὰ φύσιν* neque *τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν* ab Aristotele esse repetenda, id quod Cicero pluribus locis ut Acad. II, 42, 131 dicit, ut intellegas confer Madv. l. l. 829 s.

His rebus quae secundum naturam essent ipsi priores Stoici aliquid pretii tribuerunt *προηγμένα* ea vocantes, cum contraria *τὰ παρὰ φύσιν ἀποπροηγμένα* nominarent, et *τὰ προηγμένα* esse *τὰ ἔχοντα ἀξίαν* docuerunt *τὰ ἀποπροηγμένα* autem *τὰ ἔχοντα ἀναξίαν* Diog. VII, 105, at producta haec nominari non quod ad beatitudinem quid conferrent, sed quod a reiectis discernenda et deligenda essent Stob. Ecl. Eth. p. 156; neque Chrysippus haec producta bona nominare dubitavit Plut. de Stoic. Rep. c. 30: *ἐν δὲ τῷ πρώτῳ ἀγαθῶν τρόπον τινὰ συγχωρεῖ καὶ δίδωσι τοῖς βουλομένοις τὰ προηγμένα καλεῖν ἀγαθὰ καὶ κακὰ τἀναντία ταῖς λέξεσιν,* adeo dixit *μαίνεσθαι τοὺς τὸν πλοῦτον καὶ τὴν ὑγίειαν καὶ τὴν ἀπονίαν καὶ τὴν ὁλοκληρίαν τοῦ σώματος ἐν μηδενὶ ποιουμένους μηδ' ἀντεχομένους τῶν τοιούτων* aliaque quae ab severitate Stoicorum etiam magis abhorrent. Cf. multi loci ex Ciceronis de Officiis libris unde ab Stoicis etiam minus cum suis ethicis congruentia praecepta esse cognoscitur, Zeller III, p. 152 s.

Praecipue propter hanc de productis et reiectis doctrinam Stoici a Cicerone obiurgantur, inprimis Zeno qui cum Aristone verbis consisteret re dissideret, cum Aristotele et aliis re consentiret verbis discreparet, qui de re consentiens non maluisset usitate loqui Fin. IIII, 26, 71; cf. 73: „Facete M. Piso — et alia multa et hoc loco Stoicos irridebat. Quid enim aiebat? Bonum negas esse divitias, praepositum esse dicis, quid adiuvas? avaritiamne minuis? quod si verbum sequimur, primum longius verbum praepositum quam bonum. Nihil ad rem; ne sit sane; at certe gravius. Nam bonum ex quo appellatum sit nescio: praepositum ex eo credo, quod praeponatur aliis: id mihi magnum videtur. Itaque dicebat plus tribui divitiis a Zenone qui eas in praepositis poneret quam ab Aristotele qui bonum esse divitias fateretur. — Omninoque de omnibus istis verbis a Zenone mutatis ita disputabat et quae bona negarentur esse ab eo et quae mala, illa laetioribus nominibus ab eo appellari, quam a nobis, haec tristioribus.“ Cf. Cic. Fin. IIII, 20, 56 ss; 20, 60. Atque revera Stoici crimen quod hac in doctrina magis verba quam res mutaverint et inusitata verba introduxerint effugere nequeunt. Quamquam sapientem suum vel beatum ab omnibus rebus externis seiunctum ex se solo sibi beatitudinem comparare et servare docebant, eum tamen a vita ipsa separare non potuerunt, itaque ei ad vitam res necessarias suggerere debuerunt, neque hoc fieri potuit quin de his rebus similia prioribus philosophis docerent et in repugnantias inciderent; etsi ea differentia inter Stoicos et priores illos quos imitati esse dicuntur semper valuit, quod Stoici ad beatitudinem omnino nil conferre docebant has res in voluntate non positas ne vitam quidem, cum illi has esse particulas beatitudinis quamquam minimas sine quibus beatissima vita adesse non posset traderent. Ad *τέλος* quidem hae res a Stoicis non referuntur, at si vitam communem spectaveris, tanti aestimantur quanti ab Academicis et Peripateticis.

Iam disputavimus de rebus quas tractare nobis propositum erat. Ethicae Stoicorum gravissimas partes brevissimis explicavimus easque quantum potuimus ad fontes revocare conati sumus neque ea quae initio disputationis nostrae Stoicis crimini data memoravimus in eos cadere nobis persuadere potuimus. Stoici a Cynicis profecti eodem modo atque hi ipsi a vita publica se removerunt ad ruinam et interitum iam delapsa itaque disciplinam moralem a politicis prorsus seiunxerunt neque his multum dederunt operae. Quae in vita publica invenire non potuerunt ex se ipsis sibi comparare sunt conati in se solis nitentes et sola virtute contenti. Cum certae cuiusdam civitatis cives esse nollent sed totius mundi, *κοσμοπολῖται* ut Cynici item, huius quoque mundi vel totius universi legibus, non legibus cuiusdam civitatis subici debuerunt, unde finis illorum summus ductus est *ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν* multo aliter explicatus atque Academicorum. Mundus autem iisdem semper legibus et summa concordia et constantia regitur, quoniam ratio summa una secum semper consentit, itaque homo quoque qui particulam huius rationis in se habeat semper sibi concors esse debet eademque semper servare iudicia, unde alter Stoicorum finis verbis quidem brevior re tamen accuratius quam ille definitus manavit *ὁμολογουμένως ζῆν*. Vidimus tamen Stoicos in ratione huius finis inveniendi Aristotelem prorsus esse secutos, cum totam quaestionem ad animae

naturam revocarent atque in perfectione huius naturae summum finem positum esse docerent. At hanc ipsam animae naturam Stoici ab omnibus superioribus diversissime definierunt: ut enim homines summum finem certissime consequi possent unam esse animam neque ullo modo divisam, rationem, simulatque homo adultus esset, statuerunt, ita ut quicquid homo ageret quicquid pateretur hac ipsa ratione i. e. arbitrio et voluntate fieret. Qua ex doctrina dogmata ab aliis philosophis diversissima secuta sunt et de virtutibus et de affectibus, et de actionibus et de passionibus ut Augustineo vocabulo utar, quamvis et in his doctrinis multa singula inprimis ab Aristotele quantum pro longe alia animae definitione possent Stoici sibi vindicarent. In sapienti suo describendo Stoicos iterum ad Cynicos regredi cognovimus, quamquam summam eius intellegentiam multo magis quam Cynici primo loco collocarent. Si Stoici has doctrinas in ethicis solas tradidissent neque ad vitam communem descendissent quanti res ad vivendum necessariae essent aestimandae explicantes, certo omnia illa crimina quibus usque obruebantur effugissent. Nam in hac explicatione eos magis verborum quam rerum fuisse inventores non possumus negare. — At si hac parte excepta totam Stoicorum disciplinam moralem respicimus, eam optime excultam partes singulas inter se arctissime conexas Stoicos omnino de morali philosophiae parte optime esse meritos fateri debemus neque eos plura quam alios philosophos a prioribus sibi vindicasse. —

Jahresbericht

über die

Königliche Landesschule PFORTA

von

Ostern 1861 bis Ostern 1862.

I. Lehrverfassung.

a. *Unterricht in Sprachen und Wissenschaften.*

Ober - Prima.

Ordinarius: der Rector.

1) ***Religion.*** 2 Stunden. Insp. Niese. Im S. Johannes-Evangelium; im W. christliche Glaubenslehre.
2) *Deutsche Sprache.* 3 St. Prof. Dr. Koberstein. Uebersicht der Geschichte der neuern deutschen Nationalliteratur von Opitz bis zum Anfang des 19. Jahrh.; Correctur deutscher Aufsätze und freie Redeübungen.
3) *Lateinische Sprache.* Im S. Tac. Ann. VI. Cic. de Off. II; im W. Tac. Hist. I. Cic. de Off. III; Aufsätze, Exercitien, Disputirübungen, Extemporalien und Versübungen, 8 St. der Rector; im S. Hor. Epist. II, 1. 2; im W. Hor. Sat. I, 1. 3—8, 2 St. Prof. Keil.
4) *Griechische Sprache.* 6 St. Prof. Dr. Steinhart. Im S. Thuc. I, 1—23. II, 34—46, cursorisch Hom. Il. IX; im W. Soph. Antig., cursorisch Hom. Il. XI. XII. XIII; Correctur griech. Scripta und Extemporalien nebst Uebungen in der Versifikation.
5) *Geschichte.* 3 St. Der Rector. Im S. neuere Geschichte, im W. erste Hälfte der alten Geschichte (Gesch. der asiatischen Reiche und Griechenlands).
6) *Mathematik.* 4 St. Prof. Buchbinder. Im S. Erweiterungen der Kreislehre (Pole, Polaren, Aehnlichkeitspunkte, Aehnlichkeitslinien, Potenzen, Potenzlinien), im W. Progressionen, höhere Reihen, Combinationslehre, binomischer Lehrsatz, Functionen; Correctur schriftlicher Arbeiten und Extemporalien, Wiederholung der früheren Abschnitte.
7) *Physik.* 2 St. Prof. Buchbinder. Im S. Lehre vom Gleichgewicht und der Bewegung fester Körper, im W. dieselbe Lehre für flüssige und luftförmige Körper, Optik.

a

Unter-Prima.

Ordinarius: Professor Keil.

1) *Religion.* Mit Oberprima combinirt.
2) *Deutsche Sprache.* 3 St. (1 St. mit Oberprima combinirt) Prof. Dr. Koberstein. Uebersicht der älteren deutschen Nationalliteratur und Lectüre ausgewählter Stücke aus Hahns Lesebuche, Correctur deutscher Aufsätze und freie Redeübungen.
3) *Lateinische Sprache.* 10 St. Prof. Keil. Im S. Cic. Tusc. I. Tac. Ann. III, 18—38, Hor. Carm. III, 1—12; im W. Cic. Brut. 1—21. 36—54. Tac. Ann. III, 40—76, Hor. Carm. III, 13—IV, 2; Aufsätze, Exercitien, Extemporalien und Versübungen.
4) *Griechische Sprache.* 6 St., im S. Adj. Dr. Franke, im W. Oberl. Kern. Im S. Thuc. VI, 1—32. 42—68, cursorisch Hom. Il. VI, im W. Soph. Oed. R., cursorisch Hom. Il. XXIV, Exercitien, Extemporalien, Versübungen.
5) *Geschichte.* Mit Oberprima combinirt.
6) *Mathematik.* 4 St. Prof. Buchbinder. Im S. Gleichungen des 1. und 2. Grades, Kettenbrüche, diophantische Gleichungen, im W. Stereometrie; Correctur schriftlicher Arbeiten und Extemporalien, Wiederholung der früheren Abschnitte.
7) *Physik.* Mit Oberprima combinirt.

Ober-Secunda.

Ordinarius: Professor Dr. Steinhart.

1) *Religion.* 2 St. Insp. Niese. Im S. Lectüre der katholischen Briefe; im W. Kirchengeschichte, I. Theil.
2) *Deutsche Sprache.* 2 St. Prof. Dr. Koberstein. Im S. die Grundlinien der neudeutschen Prosodie und Verskunst; im W. Erklärung einiger Stücke aus dem Nibelungenliede. Daneben Aufsätze und metrische Uebungen.
3) *Lateinische Sprache.* 10 St. Im S. Liv. XXI, 25—45. Cic. Verr. A. II. L. IV, 1—33, Verg. Aen. IX, 1—449, Aufsätze, Exercitien, Extemporalien, Sprech- und Memorirübungen, Prof. Steinhart; im W. Cic. pro Mur., Verg. Aen. IX, 450—818. Ecl. IX. Georg. II, 480—542, mündliche und schriftliche Uebungen wie im S., 8 St. Prof. Steinhart, Liv. XXXI mit Auswahl, 2 St. Dr. Kretzschmer.
4) *Griechische Sprache.* 6 St. Dr. Kretzschmer. Im S. ausgewählte Capitel aus Herodot, Hom. Il. IV. V; im W. Lys. adv. Agorat., Hom. Il. VI. VII; Moduslehre, Repetition der Casuslehre, Exercitien und Extemporalien.
5) *Geschichte.* 3 St. Prof. Dr. Corssen. Neuere Geschichte, im S. zweite Hälfte vom Anfang des achtzehnten Jahrh., im W. erste Hälfte.
6) *Mathematik.* 4 St. Im S. Prof. Dr. Jacobi, im W. Prof. Buchbinder. Im S. ebene Trigonometrie, im W. Anfänge der quadratischen Gleichungen und deren Anwendung auf Lösung geometrischer Aufgaben, Logarithmen.

Unter-Secunda.

Ordinarius: Professor Dr. Corssen.

1) *Religion.* 2 St. Prof. Buddensieg und seit den Sommerferien Insp. Niese. Einleitung in das alte Testament, verbunden mit Bibellesen; Repetition des Katechismus; Bibelsprüche und geistliche Lieder.
2) *Deutsche Sprache.* 2 St. Prof. Dr. Koberstein. Grundlinien des etymologischen Theils der deutschen Grammatik, nebst einer Uebersicht über die Hauptepochen der Entwickelungsgeschichte unserer Sprache; daneben Correctur deutscher Aufsätze.
3) *Lateinische Sprache.* Prof. Corssen, im S. 11, im W. 10 St. Im S. Cic. pro Arch. p., Sall. Catil., Ovid. Fast. VI; im W. Cic. pro Rosc. Am., Liv. V, Ovid. ausgewählte Tristien und Vergil. Aen. II; die Syntaxis ornata nach Zumpt, Exercitien, Extemporalien und Versübungen.

4) *Griechische Sprache.* 6 St., im S. Dr. Heinze, im W. 4 St. Dr. Volkmann, 2 St. Dr. Kretzschmer. Im S. Arrian. Anab. I. II. mit Auswahl, Hom. Od. XVII. XVIII; im W. Arr. An. III, 1—17. Hom. Od. XIX. XX; Casuslehre und Ausgewähltes aus der Moduslehre, Exercitien und Extemporalien.
5) *Geschichte.* 3 St. Prof. Corssen. Geschichte des Mittelalters, im S. zweite Hälfte von den Hohenstaufen an, im W. erste Hälfte.
6) *Mathematik.* 4 St., im S. Prof. Buchbinder, im W. Prof. Jacobi. In der Arithmetik im S. die Lehre von den Proportionen und deren Anwendung, im W. die Potenzen und Wurzelgrössen; in der Geometrie im S. die Lehre von der Aehnlichkeit der Figuren, im W. die Lehre vom Kreise.

Ober-Tertia.

Ordinarius: Oberlehrer Kern.

1) *Religion.* 2 St. Insp. Niese. Im S. die Apostelgeschichte, im W. die synoptischen Evangelien.
2) *Deutsche Sprache.* Oberl. Kern, im S. 3, im W. 2 St. Aufsätze und Uebungen im freien Vortrag und im Lesen.
3) *Lateinische Sprache.* 11 St. im S., 10 St. im W. Im S. Caesar de b. C. II, im W. lib. III, Syntax, Exercitien und Extemporalien, im S. 8, im W. 7 St., Oberlehrer Kern; Ovid. Metam. XIV. XV und Versübungen, 3 St. Prof. Keil.
4) *Griechische Sprache.* 6 St., im S. Dr. Heinze, im W. Dr. Volkmann. Im S. Xen. Anab. VI. VII, im W. lib. I; Anfänge der Syntax, Exercitien und Extemporalien.
5) *Geschichte.* 3 St., im S. Dr. Heinze, im W. Dr. Kretzschmer. Röm. Geschichte, im S. zweite, im W. erste Hälfte.
6) *Mathematik.* Prof. Jacobi, im S. 4, im W. 3 St. Weitere Ausführung der Buchstabenrechnung und einfachen Gleichungen, Lehre von der Gleichflächigkeit geradliniger Figuren, Extemporalien, Correctur schriftlicher Arbeiten.

Unter-Tertia.

Ordinarius: im S. Adj. Dr. Franke, im W. Adj. Dr. Heinze.

1) *Religion.* 2 St., im S. Prof. Buddensieg und nach den grossen Ferien Insp. Niese, im W. Dr. Heinze. Das Wichtigste aus dem alten Testamente (namentlich aus den geschichtlichen Büchern) gelesen; Repetition des Katechismus, Bibelsprüche und geistliche Lieder.
2) *Deutsche Sprache.* Im S. 3 St. Oberl. Kern, im W. 2 St. Dr. Heinze. Uebungen im Vortrag von Gedichten und prosaischen Erzählungen, Leseübungen, Correctur der Aufsätze.
3) *Lateinische Sprache.* Im S. 11 St. Dr. Franke, im W. 10 St. Dr. Heinze. Im S. Caesar de b. G. II, Ovid. Met. III, 1—137. 511—733, im W. Caesar de b. G. III. IV, Ovid. Met. IV mit Auswahl, Wiederholung der Formenlehre, die Casuslehre und das Hauptsächlichste aus der Moduslehre, Exercitien, Extemporalien und Versübungen.
4) *Griechische Sprache.* 6 St., im S. Dr. Kretzschmer, im W. Dr. Volkmann. Repetition der Formenlehre, Verba in μι, das Wichtigste vom unregelmässigen Verbum und die Präpositionen; Lectüre in Jacobs' griech. Lesebuch; Exercitien und Extemporalien.
5) *Geschichte und Geographie.* Dr. Kretzschmer, im S. 5, im W. 4 St. Brandenburgische und griechische Geschichte, Repetition der Geographie.
6) *Mathematik.* Im S. 2 Abtheilungen von je 4 Stunden, Prof. Jacobi und 2 St. der 2. Abth. Prof. Buchbinder, im W. die ganze Klasse 3 St., Prof. Jacobi, und eine Nachhülfestunde, theils Prof. Buchbinder, theils Prof. Jacobi. Die Anfänge der Buchstabenrechnung und deren einfachste Anwendung und für die Schwächeren Uebungen im praktischen Rechnen; die Lehre von der Congruenz der Dreiecke nebst den sich unmittelbar daran anschliessenden Lehrsätzen und Aufgaben.

Für das **Französische** bestehen 5 besondere von dem sonstigen Klassensysteme getrennte Klassen. In der Regel nehmen nur die Schüler der vier obern Klassen Theil; doch werden auch die Schüler der beiden unteren Klassen zugelassen, wenn sie eine angemessene Vorbildung für das Französische nachweisen.

Erste Klasse. 2 St. Prof. Dr. Koberstein. Correctur schriftlicher Arbeiten und Durchgehen von Extemporalien. Daneben wurden ausgewählte Stücke aus La France Littéraire etc. par Herrig et Burguy gelesen.

Zweite Klasse. 2 St. Prof. Dr. Koberstein. Grammatische Uebungen, schriftliche und mündliche. Gelesen: Histoire de Napoléon par Ségur, aus Buch VII und VIII.

Dritte Klasse. 2 St. Im S. Prof. Buddensieg und nach den Sommerferien Oberl. Kern, im W. Dr. Volkmann. Repetition der unregelmässigen Zeitwörter, Moduslehre; Charles XII par Voltaire, im S. l. V—VIII, im W. l. I und ein Theil von l. II, Scripta und Dokimastika.

Vierte Klasse. 2 St. Im S. Dr. Heinze, im W. Dr. Volkmann. Pronomen und unregelmässiges Zeitwort; Lectüre grösserer Stücke aus Leloup franz. Lesebuch; Scripta und Dokimastika.

Fünfte Klasse. 2 St. Im S. Dr. Heinze, im W. Dr. Kretzschmer. Formenlehre bis zum regelmässigen Zeitwort einschl.; Uebungen im Lesen und Uebersetzen aus Leloup franz. Lesebuch; Dokimastika.

Den **hebräischen** Unterricht ertheilte bis zu den Sommerferien Prof. Buddensieg, seitdem in der ersten Klasse Prof. Steinhart, in der zweiten und dritten Dr. Heinze.

Prima. 2 St. Repetitionen aus der Grammatik nach Gesenius, Scripta, Extemporalien, Vocabellernen. Gelesen Genes. 1—3. Ps. 8. 19. 90.

Ober-Secunda. 2 St. Repetition der Laut- und Formenlehre, Einübung der unregelmässigen Verba nach Gesenius. Scripta, Extemporalien, Vocabellernen, Rückübersetzungen. Gelesen ausgewählte Stücke aus der Genesis und einige Psalmen.

Unter-Secunda. 2 St. Lautlehre und Formenlehre bis zum regelmässigen Verbum einschl. nach Gesenius, Lese- und Schreibübungen, Paradigmen.

b. Unterricht in den Künsten.

1) ***Musik und Gesang.*** a) Der Gesangunterricht, unter Leitung des Cantors und Musikdirectors Seiffert, ist für alle öffentlich. Sämmtliche Schüler, welche nicht zum Kirchenchor gehören, sind in 5 Singklassen vertheilt, von denen jede wöchentlich eine Unterrichtsstunde hat. Eine Auswahl von allen bildet den Kirchenchor, aus zwei Abtheilungen von etwa 50 Sängern bestehend, unter zwei Praecentoren, welcher beim Gottesdienst die Gesänge zur Liturgie und bei andern öffentlichen Gelegenheiten die Gesangpartieen ausführt. 1 St. wöchentlich, und ausserordentliche Stunden nach Bedürfniss. — b) Der Unterricht in der Instrumentalmusik wird theils vom hiesigen Musikdirector, theils von Musikern aus Naumburg privatim ertheilt.

2) *Zeichenunterricht.* Für den öffentlichen Zeichenunterricht, an welchem alle Untertertianer und aus den übrigen Klassen diejenigen, welche Anlage und Neigung zum Zeichnen haben, Theil nehmen, sind vier Klassen eingerichtet. Jede dieser hat zwei wöchentliche Lehrstunden, worin sie sowohl in den Gesetzen der Perspective unterrichtet als practisch in den verschiedenen Gattungen des Zeichnens geübt werden. Alle Zöglinge haben Gelegenheit, sich durch Privatunterricht weiter fortzubilden. Gegenwärtig nehmen 155 Schüler am Zeichenunterrichte Theil.

3) *Schreibunterricht.* Der Unterricht in der Schreibkunst, welchen der hiesige Kirchner und Schreiblehrer Karges ertheilt und bei welchem im Deutschen und Lateinischen die Vorschriften von Heinrigs, im Griechischen die von Grasshoff zu Grunde gelegt werden, ist auf die Schüler von Ober- und Untertertia beschränkt, welche in vier Abtheilungen, wovon jede wöchentlich eine Lehrstunde hat, getheilt sind. Die guten Schreiber können vom

Klassenlehrer dispensirt, die schlechten zum Besuch beider Abtheilungen ihrer Klassen angehalten werden.

4) *Tanzunterricht.* Dieser Unterricht ward während der 6 Wintermonate vom October bis März, auf welche er zur Zeit beschränkt ist, von dem Tanzlehrer Bartels aus Naumburg in 12 wöchentlichen Lehrstunden ertheilt. Sämmtliche Zöglinge sind in 12 Abtheilungen gebracht, von denen jede wöchentlich eine Stunde hat. Die Uebungen sind nach einer methodischen Stufenfolge vom Leichteren zum Schwereren geordnet, wobei in den untersten Abtheilungen die Regeln des äussern Anstandes in der Haltung und den Bewegungen des Körpers, als Grundlage des gesammten Tanzunterrichts, gelehrt und eingeübt werden.

5) *Die gymnastischen Uebungen*, an welchen sämmtliche Zöglinge Theil nahmen, wurden vom Oberl. Kern geleitet und fanden wöchentlich zweimal im Sommer auf dem Turnplatze des Schulgartens, im W. in 2 Abth. im Turnsaale statt. Auch wurde den Alumnen vom Oberl. Kern Schwimmunterricht nach der Pfuelschen Methode ertheilt.

6) *Die botanischen Excursionen* wurden auch in dem verflossenen Sommer unter Führung des Prof. Buchbinder fortgesetzt.

c. *Aufgaben zu freien Ausarbeitungen.*

A. Deutsche.

I. in Prima. Im S. 1) a. Welches sind die vornehmsten sittlichen und geistigen Bande, die den gebildetern Menschen an sein Vaterland knüpfen? b. Lassen sich die Gladiatorenspiele der Römer wohl mit den öffentlichen Kampfspielen der Griechen vergleichen, oder waren jene von diesen etwas durchaus Verschiedenes? 2) a. Characterschilderung der Gräfin Terzky nach Schillers Wallenstein. b. Characterschilderung des Max Piccolomini nach Schillers Wallenstein. 3) Wie ist der Göthe'sche Spruch zu erklären: „Sprichwort bezeichnet Nationen; Musst aber unter ihnen wohnen"? — Im W. 4) a. Freie Wahl eines Thema's. b. Wie kommt es, dass mit den Fortschritten der Gesittung und der reicheren Entfaltung des öffentlichen und gesellschaftlichen Lebens bei einem Volke die Gastfreiheit bei demselben abzunehmen pflegt? 5) a. Welche religiöse Gesinnungen haben die verschiedenen Personen in Göthe's Iphigenie? b. Characterschilderung des Prinzen von Wales in Shakspeare's Heinrich IV. 6) a. Welche Aehnlichkeiten und welche Verschiedenheiten bietet der Character des Herzogs Alba nach Göthe's Darstellung im Egmont und nach der Schiller's im Don Carlos? b. Woraus vornehmlich lässt sich die hohe Blüthe erklären, zu welcher die Staats- und Gerichtsberedtsamkeit in Rom gelangte? 7) Worin liegen für die Jugend Aufforderungen, dem Alter mit Ehrerbietung zu begegnen?

II. in Ober-Secunda. Im S. 1) Metrischer Versuch in Behandlung einer beliebigen Sage. 2) Versuch einer Characterschilderung des Saladin in Lessings Nathan. 3) In wiefern ist es im Unglück ein Trost, Leidensgenossen zu haben? — Im W. 4) Jeder empfiehlt in einem Briefe die Lectüre seines Lieblingsdichters einem entfernt lebenden Freunde. 5) Versuch einer Characterschilderung des Octavio Piccolomini nach Schillers Wallenstein. 6) Siegfrieds Tod nach den Nibelungen in beliebiger Versart. 7) Woraus erklärt sich die Anhänglichkeit an den Ort, wo wir unsere Knaben- oder Jünglingsjahre verlebt haben?

III. in Unter-Secunda. Im S. 1) Jeder erzählt sein bisheriges Leben. 2) Beschreibung der Rudelsburg und ihrer nächsten Umgebungen, in einem Briefe an einen Freund. 3) Welche Freuden und Genüsse bietet uns der Herbst vor den übrigen Jahreszeiten? — Im W. 4) Schilderung der Festfeier am 18. October in Pforta, in einem Briefe an einen auf dem Lande lebenden Freund. 5) Schillers Ballade „Die Kraniche des Ibycus" als Prosaerzählung. 6) Warum ist das Schlittschuhlaufen der Jugend so sehr anzuempfehlen? 7) Welche Freuden und Genüsse bietet uns der Frühling vor den übrigen Jahreszeiten?

Die Abiturienten haben die Themata bearbeitet: zu Michaelis: Worin liegen für die Jugend Aufforderungen, dem Alter mit Ehrfurcht zu begegnen? — zu Ostern: Inwiefern erleidet die Vorschrift, von den Todten dürfe man nur Gutes reden, Einschränkung?

B. Lateinische:

I. in Ober-Prima. Im S. 1) Ciceronis animi in Pompejum infensi indicia, quae sunt in oratione Miloniana. 2) Quibus rebus factum sit, ut Iugurtha Romanis tam diu resistere posset? 3) Eloquentiae Romanae aetates secundum Ciceronis Brutum. 4) Bellum contra Philippum, Macedonum regem — contra Antiochum, Syriae regem — contra Persen, secundum Livium. 5) Ciceronis studia eloquentiae, sec. Cic. Brutum. — Im W. 6) Orci Homerici descriptio. 7) Similia et dissimilia quaedam in moribus Graecorum apud Homerum et Germanorum apud Tacitum. 8) Rerum a Graecis inter bella Persica et Peloponnesiacum gestarum brevis adumbratio sec. Thucydidem. 9) Tacitus quam reipublicae formam maxime comprobaverit? 10) Quo animo Tacitus tristem reipublicae statum, qualis illa aetate fuit, ferendum censuerit? 11) Horatii quae sit mediocritas?

II. in Unter-Prima. Im S. 1) Caesaris cum Rubiconem transisset ad milites oratio, Sueton. Caes. 33. 2) M. Porcii Catonis Censorii ingenium et mores. 3) Prisci moris et veterum institutorum apud Germanos vestigia (Tacit. German.). 4) Quantum Athenis Atticis humanitas debeat, exponitur. 5) Cur ad agriculturam initia humanitatis ab Atheniensibus relata sint. 6) De Horatio virtutis magistro. 7) Quibus argumentis Cicero (Tusc. I) animos immortales esse demonstraverit. 8) Argumentum carminis Horatiani, quod est libri tertii tertium. — Im W. 9) Quantum in eloquentia praestiterit Sallustius. 10) Tacitum disertum fuisse, ex ejus Agricola probatur. 11) Germaniae Taciti lectio commendatur. 12) Horatium non temere nominis sui immortalitatem speravisse. 13) Horatius cur cum ape Matina se comparet, Carm. IV, 2, 27. 14) Pium erga deos fuisse Horatium. 15) Antonii et Crassi laudes oratoriae. 16) Graecia capta ferum victorem cepit et artes Intulit agresti Latio. 17) Nestor Homericus senis felicissimi exemplum. 18) Est et fideli tuta silentio Merces, Horat. Carm. III, 2, 25.

III. in Ober-Secunda. 1) Num videtur probandum, quod Cato Uticensis ipse sibi mortem conscivit? 2) Quo jure Livius (XXI, 1) dixit, sibi videri bellum Punicum secundum maxime omnium, quae unquam gesta sint, memorabile? 3) Amicus amico studium suum in antiquis scriptoribus collocatum exponit, in Briefform. 4) Labor voluptasque dissimillima natura societate quadam inter se naturali sunt juncta, Liv. V, 4. Chrie. 5) Laudatio Q. Sertorii. 6) Vergilius cur Catilinam in Tartaro scelerum poenas pendentem, Catonem piis jura dantem finxit? (Aen. VIII, 667.) 7) Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον, Odyss. XVII, 218. Chrie. 8) Μηδὲν ἄγαν, Chrie.

IV. Bei den Abiturientenprüfungen. Zu Michaelis: Ex claris viris, qui sunt apud Homerum, quis potissimum admiratione dignus existimandus sit? — Zu Ostern: Cn. Pompejus idem et felicissimus et infelicissimus.

d. Lehrbücher.

Ausser den bereits angeführten Schriftstellern und Lesebüchern sind noch zu nennen: Zumpt's lat. Grammatik; Seyffert's palaestra Musarum, Th. 1 für Unter- und Ober-Tertia; Krüger's griechische Sprachlehre; Gesenius, hebräische Grammatik und hebräisches Lesebuch; Simon, französische Grammatik; Hahn, Uebungen in der mittelhochdeutschen Grammatik; deutsches Lesebuch von Bach, herausgegeben von Koberstein, Theil 3 u. 4, für Unter- und Ober-Tertia; Peter, Zeittafeln der griechischen Geschichte, für Prima, und Geschichtstabellen, für Unter- und Ober-Tertia; Voigt, Leitfaden der Geographie; Vega's logarithmische Tafeln und kurze als Manuscript gedruckte Leitfaden für die einzelnen mathematischen Klassen.

e. Gegenwärtige Vertheilung der Lehrstunden unter die Lehrer.

Lehrer.	Iᴬ	Iᴮ	IIᴬ	IIᴮ	IIIᴬ	IIIᴮ	Summa
Rector Dr. **Peter**	8 Lat. 3 Gesch.						11 St.
Prof. und geistl. Insp. **Niese**	2 Rel.		2 Rel.		2 Rel.		6 St.
Prof. Dr. **Koberstein**	2 Deutsch 2 Franz. 1 Deutsch	2 Deutsch 2 Franz.	2 Deutsch	2 Deutsch			13 St.
Prof. Dr. **Steinhart**	6 Griech. 2 Hebr.		8 Lat.				16 St.
Prof. Dr. **Jacobi**				4 Math.	3 Math.	3 Math.	10 St.
Prof. **Keil**	2 Lat.	10 Lat.			3 Lat.		15 St.
Prof. **Buchbinder**	4 Math. 2 Physik	4 Math.	4 Math.				14 St.
Prof. Dr. **Corssen**			3 Gesch.	10 Lat. 3 Gesch.			16 St.
Oberlehrer **Kern**		6 Griech.			7 Lat.		13 St.*
Adj. Dr. **Heinze**			6 Griech.			10 Lat. 2 Deutsch	18 St.
Adj. Dr. **Kretzschmer**			2 Lat.	6 Griech. 2 Franz.	3 Gesch.	4 Gesch. u. Geogr.	17 St.
Ordin. Hülfsprediger **Kletschke**			2 Hebr.	2 Rel. 2 Hebr.	2 Deutsch	2 Rel.	10 St.
Dr. **Volkmann**			2 Franz.	2 Franz.	6 Griech.	6 [illegible]	16 St.
Musikdir. **Seiffert**	Gesang						6 St.
Zeichenlehr. **Hossfeld**	Zeichnen in 4 Klassen						8 St.
Schreiblehrer **Karges**	Schreiben in 4 Abtheilungen						4 St.

Summa 193 St.**

* Dazu noch 6 St. Turnen.

** Also mit den 6 St. Turnen und (im Winter) 12 St. Tanzen zusammen 211 St.

f. *Uebersicht über die Lehrgegenstände.*

<table>
<tr><th rowspan="2">Fächer.</th><th colspan="7">Klassen und Stunden.</th></tr>
<tr><th>Iᴬ</th><th>Iᴮ</th><th>IIᴬ</th><th>IIᴮ</th><th>IIIᴬ</th><th>IIIᴮ</th><th>Summa.</th></tr>
<tr><td>Religion</td><td colspan="2">2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>10</td></tr>
<tr><td rowspan="2">Deutsch</td><td colspan="2">1</td><td></td><td></td><td></td><td></td><td></td></tr>
<tr><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>2</td><td>13</td></tr>
